FVNEBRIA

NOBILISSIMI AC PRÆSTANTISSIMI EQVITIS,

D. HENRICI VNTONI,

AD GALLOS BIS LEGATI
Regij, ibiq; nuper fato functi,

CHARISSIMÆ MEMORIÆ,
ac desiderio, à Musis Oxonien si-bus Apparata.

OXONIÆ,

Excudebat IOSEPHVS BARNESIVS.

Anno Dom. 1596.

Liber ad Lectorem.

Scire velis qui ſum, lector, quidve affero? dicam:
Sum novus, at rebus triſtis, & arte rudis.
Inſpicito titulum, moneo: Funebria? *palles;*
Magnum aliquod præfert dictio prima nefas.
Perlege quod ſupereſt: Vntoni *heu flebile nomen;*
Ex oculis certè jam tibi gutta fluit:
Nam ſiccis Vntoni oculis funebria ſi quis
Legerit, hunc Sævas dicam aluiſſe feras.
Autorem quæris? multorum en nomina cernis:
Communis luctus nuntia ſigna gero.
Vntonum extinctum, Phœbi chorus, Iſſida propter
Dum vario plangit carmine, fio liber.
Non laudabis opus, verum tu, quod mage gratum
Facturus, noſtris luctibus adde tuos.

Benevolo lectori S.

Vantus, quamq́; excellens in omni genere laudis vir, ſeu heros potiùs fuerit, Dominus H: Vntonus, niſi notiſſimum eſſe, mihi perſuaſiſſem, iis quidem omnibus, qui aliquid de clarorum hominum maximis ingeniis, altiſsimiſq; animis vel fando audiverint, vel exiſtimare potuerint, etſi illud ex iis, quos iam exhibemus, hominum eruditione, & dignitate præſtantium verſibus, multò meliùs, vberiúſq;, quam ex noſtra quantacunq; oratione percipi poſſe intelligam, tamen meâ etiam opera cuperem innoteſcere: Idq; vel hac maximè gratia, vt mirari deſinant, ſi quibus Vntonus minus famâ notus eſſet, quid nobis voluerimus tam lugubri mortis eius deploratione, tam exquiſitis laudationibus, tanto denique in eius exequiis condecorandis apparatu, et quaſi funebri pompa. Ita enim fortaſſe exiſtimabunt, communem hominum conditionem longiſſimè ſupergreſſum, rara quadam, et prope ſingulari virtute præditum eſſe oportere eum, in quo ornando tot primarii noſtrę Academiæ viri tanto ſtudio conſenſerint, quemq; eo honore affecerimus, qui tribui, à noſtro quidem ordine, poteſt maximus, quiq;, haud ſcio, an cuiquam alii, noſtra & ſuperiore memoria, præterquam vni Domino Philippo Sidneio tributus fuerit. Verùm mihi (vt dixi) non fit dubium, quin Vntoni noſtri maior, magis pervagata ſit nominis celebritas, quàm vt hæc quiſquam quæſiturus, ſecumq; cogitaturus ſit. Etenim etſi expectatione, quàm rebus geſtis clarior, in ipſo prope honorum ingreſſu, immaturo ſit fato ſublatus, tamen aliquoties, cùm aliis in maximis reipub: negotiis, tum præcipuè in duabus illis ad Galliarum regem legationibus, ea ſuæ fidei, prudentiæ, fortitudinis, animi magnitudinis documenta edidit, quę nomen eius non ſolum ab obſcuritate vindicare, ſed etiam ſatis ſuperq; illuſtrare

ſtrare, atq; in lucem oculoſq; omniũ proferre poſſint. Quod reliquos verò attinet, qui eum noverunt, nullum eſt periculum, ne modum in eius honoribus requirant, quem omni laude maiorem neceſſe eſt fateantur. Datum eſt enim ſingulari quodam fato Domino Hen: Vntono vt omnes in ſui amorem alliceret, ſeu raperet potiùs, non lingua vt Hercules ille Gallus, ſed ſuauiſsimis moribus, et ingenio verè candido. Ego itaq;, qui omnes meas rationes in eius vnius præſidio, ac benignitate poſitas habebam, (vt cuius fidei et clientelæ iam olim meipſum commendaueram) tantum ex eius funeſto interitu cepi dolorem, quantum par erat eum, qui patrono orbatus ſit optimo munificentiſsimoq;. In quo tamen nonnullam mihi conſolationem attulit, quod animadverterem communem planè omnium ſenſum eſſe mœroris ex eius morte ſuſcepti, neminemq; exiſtere, qui non aliquã beneuolentiæ, quam erga ipſum geſſerat, præbuerit ſignificationem. Quamobrem cœpi egomet mecum cogitare, ecquo officii genere defunctum patronum proſequi, eiuſq; honori ſubſeruire, hoc eſt, clarſimo ſoli exiguam meæ faculæ lucem apponere valerem. Quid multa? conſului quoſdam ex amicis meis, ornatiſsimos huius Academiæ viros: illi conſilium meum laudare; vt inſtarem porrò et perficerem adhortari; deniq; operam ſuam benignè polliceri; ſibi quoq; in vŏtis eſſe affirmare, aliquod ſui in optimum, et clariſsimum virum ſtudii & amoris μνημόσυνον exhibere; omnino iſtiuſmodi quoddam munus ſanctiſsimæ eius memoriæ a nobis deberi: a nobis dico Oxonienſibus, quibus ille et prima educatione charior, et loci vicinitate familiarior, mutuiſq; officiis coniunctior fuerat. Itaq; diuiſa inter nos opera, illi ſcriptitando, ego accepta ab illis digerendo, typiſq; mandando hunc libellum expreſsimus, quem omnibus Vntoni, imo verò patriæ et pietatis ſtudioſis gratum fore acceptumq; confidimus. Oxoniæ, è Collegio Trinitatis, Idibus Iunii, Ann. Dom. 1596.

Robertus Wright ſacræ Theologiæ Bach.
è Collegio Trin:

D. Henrici Vntoni
Funebria.

INcipiam lachrymans Academica carmina primus,
Inter mœrentes, & triſtia fata querentes
Muſas, atq; vtinam lachrymas ita pingere poſſem.
Veras, vt poſſum lachrymas effundere veras.
Aſt alij hoc faciant variâ, culiáq; poëſi,
Tantum ego conſtitui præfari pauca, ſed illa
Vera, & quæ expertus novi, notiſſimus illi
De quo ſcripturus, quem nunc quoq; flemus ademptum.
Vntonus fuit hic, generoſo ſtemmate cretus,
Clarus Eques, fidus patriæ, dilectus Eliſæ,
Pace bonus, belloq; habilis, ſtudioſus amator
Virtutum, magni ingenij vir, conſilijq;.
Gallia teſtetur, teſtetur & Anglia mecum,
Vtraq; ſat novit quanto ſit dignus honore,
Et quis non? Ergo meritò laudabimus ipſum,
Qui per ſe laude eſt verè digniſſimus omni.
Vixiſti, Vntone, hic: (bene ſi vixiſſe feretur
Qui nimium propere perijt, terraſq; reliquit)
Sic tu vixiſti: Sed ſi modo fata tuliſſent,
Seriùs ad cœlos poteras properaſſe, diuq;
Et Gallos, Angloſq; opera ſtudioq; beaſſe:
Non ita Dijs viſum: pacis nam fœdera curans,
Et patriæ gravia, & ſecreta negotia tractans,
Ad pacem ſubitò æternam, vitamq; vocaris.
Atq; ibi nunc vivis, viveſq; vbi vivere ſola
Vita eſt, quod nunquam morieris morte ſecunda.

Edmundus Lilius Sa. The. D. Vicecancell.
Baliolenſis Collegii Magiſter.

MUlta alij ſcribant, ego ſolum pauca: ſed illa,
Quæ dolor, atq; amor extorſere ſeni meditanti,
Quàm grave perpeſſa eſt noſtra hæc Reſpublica vulnus;
Ex Vntoni intempeſtivâ morte perempti:

Ille auratus Eques, titulis præclarus avitis,
Charus Reginæ, regnoq; fidelis, & omni
Angligenæ genti gratus valdè, ingeniosus,
Prudens, intrepidus, constans & regius heû bis
Legatus, magna cum laude hoc munere functus,
Palantes inter Gallos Vntonius Heros,
Ah periit tandem: deploret Gallia ademptum,
Talem non visura alium; deploret & ipsa
Anglia, vix missura alium talem: sed & omnes
Deplorent inopes; quibus eius dextra benigna
Clausa fuit nunquam; sic chare Vntone valeto;
Vixisti vt clarus sic clarior occubuisti:
Chare Vntone vale, qui Musis non satis ipsis,
Non satis vxori castæ, patriæ, vel amicis
Vixisti; satis at domino vixisse putamus,
Qui nunc cum Domino es, Domino victurus in ævum.

Arth. Yeldard Sacr. Theolog. Doct. Sanct. & individ. Trinitat. colleg. Præses.

Epicedium clarissimi viri, Henrici Vnton, militis aurati.

QVi decus Oxonij fuerat, dum vixerat, annis
A teneris summo flagrans virtutis amore,
Quiq; inter proceres nostros celebratus honore
Eximio fuerat, legati munere functus.
Nec non Gallorum regi pridem benè notus,
Pacificus, prudens, patiens, vir fortis in armis,
Nunc iacet in tumulo, lachrymis comitatus acerbis
Multorum, pullo vestitu ad funera ductus.
Extulit omnipotens Deus hunc ad sydera tandem,
Quò patet accessus cuivis pietatis amanti.
Mors igitur post hanc non est vitam metuenda,
Quam sequitur melior, cœlestis, vita perennis.
Vermiculis cibus est, dormitq; in pulvere corpus,
Ast animæ in cœlis locus est, & mansio firma.

D. Henrici Vntoni.

Inq́, ſinu patris fœlix & læta recumbit,
Laudibus æternis celebrans, qui cuncta creavit.

Guliel. Colus Sacr. The. Doct. Somato-chriſtianus.

DVm iaculum nuper torquens, Vntone, cruentum
Te petiit triſti mors truculenta manu,
Vt reliquos monuit brevis ævi, quò ſit eundum,
Et quæ mortalis ſemita carnis erit:
Sic mæſtos multis gemitus funeſta reliquit,
Et mihi privati cauſa doloris erat.
Si te nec Muſæ poterant nec gratia regum
Siſtere, facta domi, nec tua facta foris,
Quid facient alij? ſi flos, ſi lilia marcent;
Spina quid iratâ ſpicula fronte geris?
Si te dira rapit florentem ætate, virentem
Robore, præſtanti nobilitate virum;
Quid ſperent fungi? cecidiſti vulnere cedrus,
Cedrus in æternos vivere digna dies.
Si te prudentem, iuſtum, doctumq;, probumq;
Suſtulit, inſignem ſpe, pietate, fide;
Quid ſperent ſtipulæ? viridis ſuccumbit oliva;
Gluma quid expectas? pinguis oliva iacet.
Cuius ab hoſpitio (veluti de fonte) fluebant,
Flumina ieiunas nata rigare genas.
Tanta mori pietas ſeris vix debuit annis,
O virtus nullo contumulanda die.
Anglia digna fuit, tam forti milite vivo.
Regia tam fido milite digna fuit.
Cuius muſa domi nunc deflet funera, cuius
Morte peregrinæ commaduere genæ.
Sed quantus Vntone mihi tua funera luctus
Attulerint, mea nunc muſa referre nequit.
Altius in noſtris tua mors eſt fixa medullis.
Occultum tacito pectore vulnus alo.

Guliel. Iam. Sacr. Theo. Doct. Ædis Chriſti & eccl. Dunel. Decanus.

Funebria

CVm nuper vidi Proceres in Principis aula
Vix siccis memorare genis laudesq; necemq;
Vntoni, nimis immatura morte perempti,
Dixi, quod semper sensi; penè omnis in vno
Spes moritur: Regum peregrè seu fœdera tractet,
Sive domi satagat, leges & iura tueri,
Semina magnorum quis non cernebat honorum?
Quare cum vixit Regina charus, & alma
Dilectus patriæ, Musarum dulcis alumnus,
Cui Princeps, Proceres, populus mœrore parentant,
Cur mihi vir tanti meriti indefletus abiret?

QVas daret insanas voces mea Musa, dolores
Sive tuos referat, Patria sive meos.
Funera quot deflet Respublica funere in vno
Vntoni, inq; vno quot periere bona?
Veri sanctus amor, doctæ facundia linguæ,
Non levis armorum gloria, larga manus:
Ecce iacent vno pariter collapsa sepulchro;
Una, cur cecidit victima tanta nece?
Hŷ Patriæ gemitus: privatas mitto querelas
Quas recolat tacito pectore multus amor.
Vos Proceres, fœlix quibus est iam vita superstes,
Perbeet optato fœnore Christus, Amen.

Nichol: Bonde Sacr: Theol: Doct: Colleg: Magd: Præses.

VN-tonos est campana tuus, bombarda, tuusq;,
Τυτονον & resonant tympana tacta manu.
Τυτονον atra cohors mœstis vlulatibus effert,
Filia sylvarum, ac montis, idemq; refert.
Τυτονος hic quisnam est? mihi dic veneranda Thalia,
Quæ resonum mœsto pectine tangis ebur.
Τυτονος ὐ τόνος est, gentis verùm ἄγγελος Anglæ,
Ingenio præstans, nobilitate, fide.

Εὐριπιδ': Ἐκάβη.

Hunc

D. Henrici Vntoni

Hunc Regina potens, quæ fortibus imperat Anglis,
Miserat ad Regem (Gallia clara) tuum.
Tractet vt ingenteis prudenti pectore causas,
Tractet vt eximiâ Regia iussa fide.
Talia versantem, subitò arrripit ἄγγελος ἄλλος,
A solio missus, (summe Iehova) tuo.
Sive Ἑρμῆς fuit hic, ὅς γ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Ῥάβδω, seu tetro Parca severa pede:
En vocat ad Cœlum Christus te (Henrice) venito:
En tibi Olympiacæ panditur Aula domus.
Dixit, & extemplo è terris (Henrice) recede,
Redde solo corpus, redde animamq; Deo.

Τοῦ αὐτοῦ.

Αἱ χάριτες κλαίουσι τὸν Ὕντονον ἄγγελον Ἀγγλῶν,
Ἐκχέει ἡ Βασίλισσα δάκρυα, χ' εἷσεν ἀοιδοὺς
Θρήνων ἐξάρχους, οἱ σὲ κλαίουσι κατ' ἄστυ.
Ἀῤῥητὸν δ' Ἀγγλοῖσι γόον, καὶ πένθος ἔθηκας.

הנה הארון יהוה
מסיר אנגלאים מארמה
גבור חכם איש מלחמה
דעו ראו כבר:
מלאך אנגלאים אבד
הנריך אנטון מלאך אבד
אלישבע מלאך אבד
תמהו והילילו:
בשרו ישוב על ארמה
נפשו תשוב אל יהוה
על המקום רבית שמחה
שירו ליה שירו.

Tho. Holland Reg.
Profess. Theol.

Cum triſtis claro reſones Academia planctu,
Vntoni incluſas pectore divitias,
Quas ter trinæ illi quondam tribuere ſorores,
Quas iterum trinæ, ſurripuere Deæ:
Theſaurum melius nemo me noverit alter,
Me nulli licuit liberiuſq; frui:
Quo mihi ſurrepto, quæ iam mihi vota ſuperſunt
Carmine quin tepidas ſoluar ut in lacrymas?
Gallia nil habuit, nihil aut Germania tota,
Nil Alpes, Latium, Suevia ſava nihil,
Rhetia nil profert, nihil aut Helvetia gignit,
Illuſtri dignum, magnanimoq; viro:
Quod non Vntonus, nobis comitantibus, hauſit:
Externas terras viſere dum cupimus.
Ah mors crudelis, geminas mihi vulnera: dum tu
Quæ duo præcipuè grata fuere, rapis.
Illuſtrem primò tumulaſti funere patrem,
Qui mihi charus erat, Dimidiumq; mei.
Nunc alio rurſus proſternis turbine prolem,
Qui fuerat reliqui pars mea tota mei.
Ambos affines, ambos ſine fine colendos:
Hic mihi Pupillus, iure Patronus, erat.
Tertia nulla mei pars reſtat. Perge cruenta
Mors, & me ferias, ſi placet vmbra ſenis.

Ioannes Delaberus D. Medicinæ.

In Tumulo Vntoni mœrens Academia, natum
Sic luxit paſſis victa dolore comis.

Philippi Sidnęi, Rob. Comitis Leceſt. Chriſt. Hattoni.

Me miſeram. nati nuper poſt fata, duorum,
Funera deflevi filia mœſta patrum.
Ecce novum funus. mihi te Sidnæe perempto,
Debuit Vntono parcere Parca meo.
Ah cur materni tum vix oblita doloris,
Perſenſi quanto nata dolore gemit?

O funeſta

O funesta dies, ô lamentabile lustrum,
Quod struit in curas tot monumenta meas.
Sit magnum claro nasci de stemmate; maius,
Præclarum factis exuperare genus;
Sed quid Nobilitas, quid avita gloria famæ
Profuit, aut meritis gratia parta suis?
Vel quò spes tendunt? vel quid mens cæca, fugaces
Captat opes, studijs irrequieta suis?
Quo feror? vt luctus renovato funere crescit?
Prosequor affectus in mea damna meos.
Hos laudent alij: non fas est dicere nobis,
Qualis vterq; fuit, quantus vterq; fuit.
Musa soror, nostris iterum subscriba querelis, Cantabrig.
Quæ patre, quæ clara prole beata manes.
Det Deus haud vnquam lamenta sororia noscas,
Vtere delitijs non viduata tuis.
Nati (chara) mei defleti funera; flevit
Musa Caledonijs, Regia Musa, modis. Regis Scotiæ:
Vestra quid hoc tanto cessant suspiria planctu?
Cur tumulo nihil hoc flebile Musa sonat?
Est aliqua in luctu, luctus miscere, voluptas,
In lachrymis socias commaduisse genas.
Parce peregrinos nostris æquare dolores.
Quæ mater fuit, aut filia, sola gemit.
Hæres, sponsa, nurus, socer, & gener, atq; noverca;
Sub pullâ interdum gaudia veste tegunt.
At Rachaël casis renuit solatia natis,
Mater cum natis interitura suis.
Non simulat mater, non fingit filia fletus,
Nec bene mœstitiam dissimulare queunt.
O quàm difficile est iustos cohibere dolores,
Aut gemitus proprio continuisse sinu!
Ars celare potest. Nescit Natura tacere.
Verus, ab innato prodit amore, dolor.
Sola premit magnos sollers prudentia motus,
Dum regit affectus cum ratione graves.

Hac eſt Socratica virtus, & ſumma medela;
Quæ reliquis facilem provida reddit opem.
Sit nobis Medicina dies, quæ triſtia ſenſim
Abſumit tardæ commoditate moræ.
Hac ſtultæ fruimur Matres, Nataq; . Beati
O nimis, auxilium qui Rationis habent.

Henr. Buſt D. M.

Funera qui deflent Vntoni morte perempti
Si venia digni ſint, ſine laude manent,
Ni prius ingentes imo de pectore grates
Perſolvant ſummo qui regit Aſtra Deo,
Quod virtute viri tanta conceſſerit vti,
Tamq; diu eximia commoditate frui.
Illa quidem virtus longinquo tempore digna
Nos hac indigni proſperitate ſumus.

Multa erat Vntoni virtus, ſapientia multa,
Publica quæ gereret munera, digna, diu.
At fuit in Cœlum populus male gratus: et hinc eſt
Quod ſoleat tales eripuiſſe Deus.

Antonius Ailworth Regius
Profeſſor Medicin:

Scioglie Errico il mortale, e regi, e regni,
Che facondo aggiunge a, coſi diſcioglie?
Opar, che l'alme a piu bei nodi inuoglie,
Suſù dal cielo e plachi gl'odii indegni?
Tronca algenti ſoſpetti, ardenti ſdegni
Attuta Errico: e le contrarie uoglie
Spirto celeſte hor liga: e frutto accoglie
Delle ſante fatiche. e ne dà ſegni.
Vedi quel grande, alla cui ſpada inchina
Quanto regge l'Hiſpano, e ch'a noi fraude

Tolſe

Tolse da santo nodo? ei pace chere.
Tu, *lamedesma sempre*, alta regina,
Pace a lui doni: e rechi tanta laude
Al tuo buono orator, buon caualiere.

Del S. Alberico Gentile D.

PRima tibi in studijs ponuntur tempora vitæ
(Vntone) & laudis semina prima tuæ.
Post colis externas peregrinus, & aduena, gentes,
Discis ab hijs quod te non docuere tui.
Inde redux factus, rerumq; peritior vsu,
Omnis, quod de te ſperet, & optet, habet.
Tu ſpes re superas adeoq; excellis in omnes
Egregius partes, vt modò, nemo prior.
Quod candore, pudens; quod publica munera tractans
Iustitia & studio; quod probitate, bonus;
Quod pius obsequijs natus; quod amore maritus;
(Castus qui casta sorte beatus agit)
Quod Dominus, Tutor, Vicinus, Testis, Amicus,
Arbiter, Affinis ius iubet esſet, eras.
Omnia magnarum transcendis nomina rerum,
Deficit id tantum, non potes esſe pater.

NObilitatus ab hijs & iam bene cognitus: Aula
Notior incæpit principis esſe tibi.
Hic tua dum clara est, & non sine numine fama,
Invidia superas (quod tamen vrget) onus.
Sicq; places vni, cui non nisi digna placebant,
Crimen vt in reliquis, non placuisſe, fuit.

REbus in incertis, cum cædes, bella, tumultus
Undiq; per gentes publicus hostis agit,
Mitteris in Gallos Orator Principis, iste
Visus adhortari est, ad magis alta, gradus.
Hic tibi magnarum campus ſpatioſaq; laudum

Area, quæ dotes prædices vsq; tuas.
Pacem ergo mediis dum sic componis in armis,
Expertem vt non te bella tulere sui,
Consilijs virtutem addis, laudataq; præstas,
Saga minus ne sit quam fuit ante, toga.
Invigilas cautus, depugnas, consulis, hostis
Vlla ne possit parte nocere, caves:
Nec minus officio legati fungeris; vno
Ingenio ad plures sufficiente, vices.
Siqua tibi fuerant iustove ornanda paratu,
Dandavero meritis, largiter illa facis:
Hijs attrita tui quanquam pars grandis acervi est,
Laus viget, & parvo creditur empta tibi.
Sed tandem invenere suum hæc incommoda finem
(Finis id est tantum si redijsse modò.)
Grandia continuò subiere negotia regni,
Quæ nisi solerti non adeunda viro.
Hæc tractanda tibi Princeps decernit, et abs te
Rectius à quoquam non putat illa geri.
Is, tractas, peragis, (quôq; haud tibi contigit vti
Effectum per te, pacis habemus opus.
Huius enim immoreris studio, prateraq; futura
Quæ fuerat vita, hæc cura suprema fuit.

Ergò beatus eas, longis dignissimus annis,
De quo ætas hominum nulla, tacere potest.
Ergò beatus eas, & qui te cumq; sequentur,
Sic studeant opto vivere sicq; mori.

Tho. Dochen Doctor Medicinæ.

Quid mihi vobiscum est olim mea cura, Camana,
Quid mihi vobiscum est, veris præcordia curis
Suffixo, tristemq; animam per acerba trahenti?

Carmina

Carmina purgatam mentem, vacuamq; requirunt,
Et pectus turbarum expers, & claderemotum.
Sed me quò pietas, visq; officiosa, dolorq;,
Desuêtum rapitis, veteremq; lacessitis ignem
Haud vnquam flammantem illum, nunc insuper atros
In cineres actum? quid ferrea vota silendi
Rumpitis, emeritumq; in carmina truditis? eia
Festinate, sequar, violentaq; tussa capessam.
Ante tamen, veris animum extimulate querelis,
Iam veris opus est, non personata cothurno
Fabula, res agitur; nec ficta tragœdia, vera
Pertexenda mihi est; vestri est quodcunq; paratur
Muneris, auxilium præstat mihi nulla Sororum;
Nec moror officium, si qua mihi fortè ministret,
Inconcinna meos fundit miseratio versus.
Nam tua carminibus decorent cùm funera multi,
Accumulentq; animæ laudes, & inania luctus,
Hâc ego nolebam, nec fas, Vntone, putabam
Parte deesse tibi; nolebam nulla doloris,
Atq; animi pia signa mei supereſſe sepulchro,
Qualiacunq; forent. aliis tua fata peritè
Concedo cantare; mihi vulgare dolorem
In turbâ satis est verum, fucoq; carentem.
Nam quid lamentis artem, lacrymisq; decorem
Quærimus? indoctæ magis, indecoresq; decebunt.
Nulla mihi, fateor, tecum, fortissime, vivo
Consuêtudo fuit privata, nec oris honesti
Vltra notitiam vêni; sed enim illa serena
Publica virtutis tuba, quæ te tradidit orbi,
Nesciri prohibet; quâ non mihi notior alter,
Quâ nec splendidior, nec erat mihi gratior alter.
Nullius privata mihi, sed publica virtus
Est omnis, commune bonum cuiusq; quod & me
Parte sui magnâ contingit, & intùs amores
Conciliat miros, & me citò reddit amicum,
Ac laudatorem promptum: nec enim benefactis

Stant

Stant benedicta procul; facere vt sit prima, secunda
Res verbis exaquare, et benedicere, laus est.
Hinc Vntone, tibi luctus, & carmina manant.
Non tu corpus eras sine pectore, non sine re tu
Nomen eras cassum; non tu calcaria, non tu
Auratum capulum gestabas, plumbeus ipse.
Diuini natura tua non particulam auri,
Sed grandem menti vim subdidit; aureus hinc tu
Partus eras domuiq; tuæ, patriæq; futurus.
Diuitiæ tibi contigerant, arteſq; fruendi,
Nobilitaſq; domus, & fama, & forma benigna,
Et corpus ſanum, doctrinaq; Milite digna,
Ingeniumq; ingens, animuſq; ingentior iſtis,
Deniq; mortales faciunt quæcunq; beatos,
Si ſobolem excipias nullam. Sed maxima nobis
Hæc quoque iactura eſt, quòd te ploramus vt orbum,
Ipſi orbi potiùs. ſaltem ſi nata fuiſſet
Ante obitum de te proles, quæ te ore decoro,
Ingenioq; olim, ac patriâ virtute referret,
Non eſſes nobis in funere totus ademptus.
Nunc orbum penitus querimurq; & quærimus orbi.
Certè dignus eras cuî vitam Parca noverca
Longæuam, natoſq; ſimul natura dediſſet.
Sed nos indigni quos gratia tanta maneret.
Ingentis nunc orni inſtar, quam monte virentem,
Reddentemq; vmbram terris, cœloq; cacumen,
Immanis ſummâ Boreas radice reuulſit,
Tu, miſerande, iaces, nec quicquam à funere de te
Iam ſupereſt, niſi fama tui, nobiſq; relictum eſt
Nil præter lacrymas, longoſq; in pectore luctus.
Nam deſiderio quis noſtro ſit modus vnquam
Tam chari capitis? quæ ſit ſatis vlla querela?
Quis gemitus, quæ verba gravi ſint apta dolori?
Non te diuitiæ, non te fecêre ſuperbum
Natales clari, non fama inflavit honora;
Forma, valetudo, rerumq; ſcientia, non te

Virtutis

Virtutis môvere gradu, non ingenij vis
Astutum, non mens audacem reddidit ingens.
Sensit opes ea turba tuas, quæ sordida mundo
Semper erit, sed turba inopum quibus itur ad astra;
Clarum agnoscebant Proceres, vulgusq; sonabat;
Cui non visus eras semper pulcher q; valens q;?
Patria facundum sensit, rerumq; scientem;
Ingenium sensere tuum, quibus illa timori
Barbara gens hominum est, non dimissura crumenam
Ni succi bené plena sui, quêis ducere causas,
Et lites pendere diu, est argentea messis;
Ille lien regni, quo sic crescente, necesse est
Cætera tabescant in toto corpore membra,
Magna lues populi, nostriq; infamia sæcli.
Ingenium sensit Princeps, regniq; Senatus,
Amissumq; dolent; sensit quoq; Gallia magnum,
Gallia fatalis, non vnquam commoda nobis.
Improba Legatum quin reddis Gallia salvum?
An reddis nullum, quem tradidit Anglia tantum?
Magnanimum sensere hostes, densæq; phalanges,
Consilioq; bonum, dextràq; ac Marte valentem.
Omnia nequicquam; spes ô mihi semper inanes
Fallaces q; hominum! fortunam ô semper iniquam
Virtuti! medio in spatio quàm sæpe labores
Franguntur, cursuq; prius merguntur in ipso,
Quàm tutum possint velis contingere portum?
Sic visum est Superis; Musarum ô semper amores
Infaustiq;, breves q;! Philippum testor inultum
Sidnæum, fortemq; tuum, Comes inclyte, fratrem
Gualterum; quales animas? quam fortia bello
Pectora? Gualterum imprimis (mihi dicere fas sit)
Quippé meo propiorem animo; quo candidiorem
Nulla tulit tellus, quo non mihi charior alter
Contigit, aut cuî me fuerit devinctior alter.
Quem terris tantùm fata ostendêre, nec vltrà
Esse, Deo visum est. non illo quis puer vnquam

Illustri de stirpe suâ, maioribus ausis
Evexisset avos, nec Troiani magis olim
Vllo se Bruti sanguis iactasset alumno.
Heu virtus, heu priscus honos, & prodiga vitæ
Gloria, non illi quisquam sine sanguine sese
Obtulit armato, seu cùm pede duceret agmen,
Seu tergo veheretur equi sublimis in hostem.
Heu miserande puer; si quâ crudelia fati
Vincula rupisses, qualis, quantusq; fuisses?
Quó pervenisses? calathis date lilia pictis,
Vernantes spargam violas, et triste sepulchrum
Muneribus saltem his decorem, & defungar inani
Officio, lacrymasq; meas simul accipe. Sed me
Quó traxit pietas, & magni nomen amici?
At non his statur damnis, nisi tertius istis
Vntonus veniat, numerumq;, & funere luctum
Augeat, ingentemq; his insuper addat acervum;
Ni validis etiam cadat, & florentibus annis,
Ignavâ nisi febre cadet, Legatus, amicis,
Coniugis alloquio, patriâq;, domoq; remotus,
Ipsis sub castris, oculis fortasse sub ipsis
Gallorum infestis, & ficto corde gementum,
Invisâ certè in terrâ, nostrisq; malignâ.
Scilicet hoc præstas, ô virtus? huc tua tandem
Splendida tot promissa cadunt? hæc aurea messis?
Nimirum nihil es nisi verba, & nobile nomen,
Teq; Ducesq; tuos, si castris exuat ipsis
Fortuna, & medio premat in molimine Febris.
Alme Deus, quid tu miseros meditaris in Anglos,
Robora dum carpis, dum passim fulgura revellis?
Quàm vereor né sint fato fœliciter vsi?
At q; hîc, charactui mentem percussit imago
Die Comes, gelidamq; acuit sub pectore curam.
Quem celsâ in puppi stantem, & iam vela daturum,
Bellanteq; rates in prælia dura trahentem
Miratur Neptunus, vt æquora sensit ab alto

Classe

Classe novâ sterni, & læto vaga littora circum
Murmure miscerí, summâ caput editus undâ,
Mirantur Nerêus, Tritonq; Deaq; marina,
Et Proteus, & quic quid habet pro Numine pontus,
Fulgentesq; stupent turmas, & Martia corda.
Dev reuxum ante omnes, ingentem, ingentibus armis
Insignem, & nulli priscorum Heroa secundum,
Sic oculis ardet, sic toto vertice supra est.
Qualem Argonautis stipatum Iasona, versús
Colchida tendentem, vel qualem Agamemnona magnum
Pergama viderunt properantem; denig; qualem
Scipiadam; felici ausu, cum classibus vltró
Africa, te peteret, Romanaq; portubus arma
Inferret, Carthago, tuis, Latioq; tot annos
Grassantem abstraheret Pœnum, & sua mœnia tandem
Respicere, ac patrias defendere cogeret arces.
Dij patrij, quibus alta stetit, stabit q; Britannis
Gloria, vicinasq; inter stat maxima gentes,
Hanc servate precor, classem, teq; Inclyte, nobis
Sistant incolumem, hoc primùm; deîn regis avari
Florentem spolijs, & onustum laude remittant,
Egregijsq; ausis claram; tibi militet æther,
Et tua procurent famulantes lintea venti.
Interea, miserande, tibi suprema feramus;
Henrice, æternum salve, & solatia mortis
Immeritæ cape grata tuæ; te luget Elisa
Fidum oratorem; Proceres te, totaq; fortem
Curia deplorat comitem; te lumen Equestris
Ordo suum gemit extinctum; Respublica civem
Egregium dolet amissum, populusq; patronum,
Subsidiumq; inopes, charumq; Ecclesia natum,
Religio columen, doctumq; Academia alumnum.
Si tu longinquis olim Romanus in oris
Legatus vitam clausisses, aneus vrbe,
Saltem marmoreus stares; ea gratia quando
Sublata est meritis, posui pro marmore, carmen.

Funebria

Barbarie in mediâ, quem publica vincula legum
Salvum præstiterant, incolumemq; suis;
Legatum Vntonum violavit Gallica febris;
Gallia sic Anglis præstitit vsq; fidem.

Anglum Legatum, confectum febre fuisse,
Desine mirari; Gallica febris erat.

Illa sit infamis semper, maledictaq; febris,
Vntono summum quæ tulit atra diem.
At vos Archilochi soboles, animosa iuventus,
Queis iusto Nemesis pectora felle tument,
Archilochi rabiem renovate, ac promite versus,
Ipsi qui febri, Gallicâ febris erunt.

Iam vetus es Sidnæe, dolor, iacturaq; quondam
Dev'reuxe, at nunquam non memoranda mihi;
Iam Varvicensis, Leceſtrensisq; sepulti,
Et Valsingamij iam vetus vmbra malum est;
Et quicquid Procerum, belloq; togâq; potentum,
Iamdudum fati vis miseranda tulit.
Patria nil vestris iam debet manibus vltrà,
Omnia sunt tantis ritè soluta viris.
Ecce novi veniunt luctus, terrâq; marique,
Sorsq; ferum pergit ludere sæva iocum.
Bina mari redeunt nova funera, Dracus, et Haukins;
Vntonum terrâ febris acuta rapit.
Illos Nereides plangunt, Nymphæq; marinæ;
Vntonum Musæ, turba canora, gemunt.

Hectora Sidnæum flestis; iam vertite luctum
Deiphobo Vntono; nam satis Hector habet.

Vntonum modò Gallicæ calore
Cum vidit Nemesis perire febris,
Par damnum miseris datura Gallis,

Hisf-

Hiſpani dedit in manus Caletum,
Gallis peſſima quod ſit vſq; febris,
Quâ ſemper ſatis,& ſuper caleſcant.
Sed cuius,vereor,calore nè mox
Vicini caleant nimis Britanni;
Vt quicquid maris inter eſt vtrinq;
Mox reſtinguere vix queat calores.
O febris mala,Gallicâq; peior!

ARis Romani Febrem coluere dicatis,
Propterea,credo,nè mala damna daret.
Quid mirum,ſi Diva Salus depellere febrem
Vntono haud quiuit? Febris,et ipſa Dea eſt.
Cui tamen vt pro ſe potiùs quàm more litari
Romano vellet,maluit ecce mori.

AIunt Prometheo,Deos ſagaci
Iratos(Hominem quòd arte mirâ
Finxiſſet)generi deinde nato
Immiſiſſe hominum cruces futuras
Tres;Febrem,Maciemq;,Fœminamq;.
Vntono Maciemq;,Fœminamq;
Evitare malam,duæ dederunt
Parcæ,quas penes hæc fuit poteſtas.
O ſi febrem etiam Deæ arcuiſſent,
Et trinæ triplici malo Sorores,
Divæ tres,Furiis tribus,levaſſent!
Sed Clotho Maciem cùm ei expuliſſet,
Et blandum Lacheſis malum fugaſſet,
Heu Febrem Atropos haud tulit repelli,
Donum ſola ſuum negavit addi
Immitis,tetrica,invidens,maligna.

VT tu,Gallia,ſemper es moleſta,
Diviſis medio freto Britannis,
Bellum ſive geras,colaſve pacem!

Vt iuxtà hostis, & hospes es timenda?
Quas turbas inimica præbuisti?
Quas clades etiam refers amica?
Auri quæ tibi nuper Anglicani,
Quæ vis sanguinis insuper profusa est?
Nam quæ funera nuper extulisti
Tuæ militiæ, gemenda nobis?
Dev'reûxum modò reddis hinc in vrnâ,
Nunquam carmine sat meo colendum,
Nunquam pectore sat meo dolendum;
(Vt quos fama Duces premit minores
Solo præteream tuo sepultos,
Et cæsas peditum tibi cohortes,
Vix fortasse tuo solo sepultas)
Vntonumq; modò remittis illinc
Compostum tumulo recens cadaver.
Quid quòd moribus inficis iuventam,
Et vestes varias doces puellas
Anglas, & iuvenes, levemq; plebem?
Vt hostis nimiùm nociva cùm sis,
Tamen plus noceas amica nobis.
Vt semper lupa es auribus prehensa,
Quæ detenta gravet, remissa vexet?
Tu Carthaginis instar æmulantis,
Pugnas quàm meliùs, licet cruentas,
Sed prædas simul inclytas dedisti,
Et tot, Regibus Angliæ, triumphos?
Credo, Gallia, sic minùs molesta es.

NOn ego sic, Galli, sic tecum Gallia, rixor,
Fœderis vt sacri cùm stet vtrinq; fides.
Te verbo violare velim (nec me tamen Anglum
Verum, nec Gallos vos etiam esse, nego)
Vntoni sed cùm variarem in funere questus,
Scribendiq; locos excuterem, & loculos,
Haud rude visus erat, fateor, Locus argumentum

D. Henrici Vntoni.

Porrigere, extremum quo tulit ille diem.
Scilicet vt lethi genus execramur acerbi,
Sic etiam lethi displicet ipse locus;
Displicet ipse dies; nec amici à funere, vestes,
Lumina, nec thalamum, nostra videre ferunt.
Non bilis deprompta meo est, sed copia, sensu,
Non ea mens animo est, carminibus vé meis.
Nempé malus custos luctus solet esse decori,
Cùm laxat verbis libera frœna dolor.
Et dolor hæc fudit; morbusq;, locusq;, diesq;,
Accendunt planctum, suppeditantq; faces.
Viriq; hanc veniam petimusq; damusq; dolentes,
Hanc veniam pietas, hanc q; poësis habet.
Nec tu nulla tamen nostræ es pars, Gallia, cladis,
Iam, nisi tu fueras, forsitan ille foret.

HAud nihil est, Vntone, tibi tot carmina fundi,
Non hoc divitibus, Principibusvé datur.
Hæc nisi Sidnæo concessa est gratia nulli,
Nec nisi virtuti profluit ista tuæ.
Nil opibus, generive datum est; Academica soli
Buccina virtuti, promeritisq; sonat.
Rara quidem vox hæc; pauci quos Phœbus amavit,
Et quos Musarum nutriit alma cohors,
Diis geniti, potuere decus pertingere tantum,
Virtuti haud modicæ tantus habetur honos.
Ite procul turpes, et auari, animisq; superbi,
Non debet vobis ista sonare tuba.
Gaude, Vntone, tibi, te nunc canit ista secundum,
Vix, qui succedant, vnus et alter erunt.
Si Musa quicquam nostra, si carmina possent,
Delerent nomen sæcula nulla tuum.
Quicquid id est, nobis, decorari in funere, debes,
Forsan et a serâ posteritate, legi.

Phœbigena

PHœbigena Hippolytum superas revocavit ad auras,
Quem sæva dederat Phædra noverca neci:
Sic tamen, ut non iam Hippolytus, sed Virbius esset,
Et procul obscuro degeret in nemore,
Effugeretq; homines, ageretq; inglorius ævum,
Hippolyto longè, qui fuit antè, minor.
Untonum Musæ rapuerunt funere nostræ,
Quem morti nuper Parca noverca dedit.
Non tamen Untonus, sed iam Οὔτις, & Οὐ-τόπος vt sit,
Et vivat certè, sed velut in nemore.
Qualis, & Untono quantùm mutatus abillo,
Quibus Legati munus obire tulit?
Qui redit Hispano respersus sanguine quondam,
Primitias dextræ cùm tibi, Belga, daret.
Dignis laude viris, vt vitam Musa reducat,
Non ea vera redit, sed quasi vera redit.
Maluit in terris inopem traducere vitam
Pelides, toti quàm dominari Erebo.
Forsan & optavit vitam renovare priorem,
Vivere quàm Musâ, grandis Homere, tuâ.
Si tamen vlla mori vetet, & det vivere verè,
Non est in nostro tam bona Musa choro.

Guilielmus Gagerus.

PArce tuo medico, fœlix Henrice, poëtam
Non sinit esse ætas, nec sinit esse dolor.
Ecce tibi exucci lacrymas senis, has cape, quarum
Te dempto, superest vnica vena mihi.
Nunc Florentini videt serpentia monstri
Toxica, tu postquam, qui remoreris, obis.
Sed tibi tantorum est merces, & meta laborum,
Qui nunc Angelicis annumerare Choris.

Iohannes Case. Medicinæ D.

Quos

D. Henrici Vntoni.

Quos me non vnquam docuit natura, nec vsus,
Nullaq; Musarum scribere Musa nouem,
Hos dolor expressit tibi, vir fortissime, versus,
Et iussit pedibus currere, verba novis.
Sponte fluunt Elegi ferturq; in carmina luctus,
Et faciles veniunt ad tua fata modi.
Nam quis in Vntoni non flat morte poeta?
Materiâ vires suppeditante novas.
Quis tamen Vntoni deploret funera dignè?
Materiâ vires exuperante novas.
O mihi quis verè præstet miserabile carmen?
Maonidæ scriptum, Partheniavè manu.
Quanquam quod satis est vsquam miserabile carmen?
Quæ satis in tanto est masta querela malo?
Obruimur damnis; & de Carthagine præstat
Omninò sileam, quàm memorare parum.
Carthago nobis tua mors est, inclyte Miles,
Nec reticenda mihi, nec memoranda mihi.
Nulla tamen nostri nolebam signa doloris
Extare; officium sentiat vmbra meum.

Iohannes Weston Leg. Doct.
Æd. Christ.

Dicite lectores (si non grave) quid pia vota?
Quid Lachrimæ, quid turba velit, quid murmura vulgi,
Quid feretrum, quid mœsta notant vestigia, vestis
Quid mutata? quid huc feralia munera, credo
Indeplorata non sunt insignia mortis.
Nil opus (heu) monitore, satis monumenta loquuntur,
Humida serta satis; satis officiosa caterva,
Cætera si sileant, lachrimarum prodiga Coniux
Contestata satis defuncti est signa Mariti
Vel satis illa sui si non det signa doloris
Pars mihi tristitiæ poterit non parva deesse

Omnia cum deflent; deflendi est ergò voluptas:
Sed qualem, quantumq; virum? Quem Patria, Princeps,
Vrbes, Rura, Senes, Pueri, Iuvenesq;, Puellæ,
Magnates, Populus, Notiq;, Ignotaq; turba,
Quem (vos Pierides) quem stirps Latonia deflet
Patria præstantem bello deplorat ademptum:
Princeps virtute insignem, bis honoribus auctum:
Vrbes prudentem civem: sibi Rura patronum:
Imbellesq; senes, pueri, timidaq; puellæ
Solamen miseræ, vitæ tutamen honestæ:
Invictum iuvenes: Populus pietate potentem:
Magnates verè magnum: Noti peramicum
Nec non pars ignota virum deflere disertum,
Quem Musæ invisâ deplorant morte peremptum.
Nil nisi flere libet si vitæ hæc vltima sors est,
Charus enim Musis, cui stirps Latonia chara est.
Quin immo quoties memoro (clarissime Miles)
Quàm te fœlicem virtus pietasq; beârint,
Non est in terris vitæ spes vltima vestræ.
Anglia te potuit vivum celebrare, iacentem
Anglia te poterit lachrimis decorare, peregrè
Anglia te potuit peregrè revocare profectum,
Anglia dum poterit tristis tumulare revectum.
Sed sine funeribus, dum te sine honore sepulchri
Anglia non poterit vel mœsta recondere, fixa
Transactæ poterit monumenta reponere vitæ,
Quæ, dum posteritas numerabit murmure longo,
Præmia virtutis nunquam peritura manebunt.
Immò fortè nihil conducet sera vetustas
Cum nihil in terris durabile cernitur esse,
Ergo ad cœlestes dum tollo lumina sedes
Te fore cœlestem lætor cœloq; locatum,
Indignum terris immortalem arbitror Vnton.
Hæc mihi mœstitiæ restant solatia magnæ
Quapropter iusti cessabunt signa doloris,
Dum te perpetuò memorabunt Patria, Princeps,

Vrbes

D. Henrici Vntoni.

Vrbes, Rura, Senes, Pueri, Iuuenesq; , Puellæ,
Magnates, Populus, Notiq; , Ignotaq; turba,
Dum te Pierides resonabunt carmine digno
Virtutis tantæ, digno cœlestis alumni,
Omnes dum cœlo dignum memorabimus Vnton.

Rodolphus Ravens sacræ Theolog. Doctor.

QVem bis Angligenum legatum Gallia cæpit,
Exanimum vidit crudeli funere mersum,
Nec mora, defunctum gemitu decorabat amico,
Hic ingens gemitus Gallis heu missus ab oris,
Dum Britonas versum tendit, vada salsaq; transit,
Qui modò murmur erat, queruls suspiria luctus,
Exit in undosum mœstarum flumen aquarum.
Qui sunt, qui riguis replerunt flumina guttis?
Et qui perpetuant vndam, fluctusq; sequaces?
Nympha, cui splendens accedit nomen Eliza,
Alma Britannorum rectrix, regumq; propago:
Nam mihi, ceu meditor pacem, ceu prælia Martis,
Consiliis armisq; simul subvenit amicè.
Magnanimi proceres, regni prudensq; senatus,
Qui patriæ aspiciunt oculis incommoda mœstis:
Nam nobis charus, nostroq; ex sanguine cretus
Ac si, Parcæ, Parcæ, hic nobis additus esset.
Æterni verbi œconomi, patresq; verendi,
Qui populo Ambrosiam dulcem nectarq; propinant:
Nam nobis insigne decus, solersq; patronus
Extitit, Heu nostris semper deflende Camænis.
Oxonides Musæ, vosq; ô Orialia Claustra,
Ex quorum mammis exsuxit flumina Suadæ:
Nam nobis sacro Parnassi vertice eodem
Edoctus, quoq; vix evasit doctior alter.
Angligenæ cuncti, cuncti Iuvenesq; senesq; ,
Ciues, pastores, ac vnci cultor aratri:

Nam vsibus hic noſtris oculis vigilavit apertis,
Et cum nos mutos dolor & penuria fecit,
Hic noſtros planctus, auditaq; verba remiſit
Ad placidæ aures ac turrita palatia Elizæ.
Mors iaculis qualem ergo virum tranſfixit acerbis?
Fidum ſubiectum, meritis titulisq; micantem,
Inſignem pietate virum, Muſisq; benignum,
Haud populo ingratum lugendumq; omnibus æquè,
Quem noſtri vates, & qui naſcentur ab illis
Egregium Aoniis cantabunt vallibus Vnton;
Vnton ſic vivit, vivet poſt ſecula mille,
Seraq; poſteritas celebrabit ſplendida facta.

Tho. Sing. Sa. The. Bac. Coll. Æn. Na. Prin.

AT ego nè ſileam lugenti ſolus in vrbe,
Manibus Vntoni hæc qualiacunq; dabo.
Nam ferat hoc quiſquam decorari carmine nullo
Quem fuerat tantum patria nacta decus?
Vendicat hoc charis vel vita impenſa Britannis,
Vt famæ vitam Muſa refundat ei:
Muſa refundet ei: ſic Anglia grata reponet;
Alterutram vivus vinxerat ille ſibi.
Alterutram dixi? Vivus devinxit vtramq;
Anglia, quod plangat, Muſa, quod angat, habet.
Ecce velit, nolit, comitem ſe iunget vtriq;
Gallia, quod doleat, quodq; queratur, habet
Anglia quam fœlix? quam fœlix Gallia, multos
Si ferret tales vtraq; terra viros.

Rodolphus Huchenſon præſes Collegij Sanct: Iohan: Baptiſtæ.

Optan-

D. Henrici Vntoni

Optandum fuerat benigna multos
Parca, Vntone, tibi dedisset annos,
Servasset q3 diu bonis patronum,
Non irata viris q3 moribus q3,
Doctorum q3 choris scholasticorum.
Nunc post quam fera mors tuum recurvo
Stamen præpropere rescidit ense,
Squalent cuncta: virig3, literæq3,
Mores, vrbs pudibunda, tristis Aula.
Lugent delicias viri peremptas
Humani generis, Scholæ, decorem
Decerptum subitò peculiarem;
Mores immodicum tulêre vulnus,
Orbati placita serenitate;
Vrbs privata suo dolet nitore;
Amissumq3 gemiscit Aula florem.
Quum fert ipse tuam dolenter æther
Mortem Vntone, (puto,) quòd inde semper
Crebros fuderit impotenter imbres,
Nec siccarit adhuc madentem ocellum.
Heu qualem Anglia perdidisti alumnum?

Dotes Admirata Vntonum reddere nuper
Cum cuperet civem Gallia blanda suum,
Isq3 recusaret: sed eris, tamen, inquit, & atram
Immisit tenero mox furibunda febrim.
Nec fas, crede tibi, linguam, moresq3 sine vllo
Pignore, nostrates, surripuisse, tui.
Namq3 animo quamvis civis meus esse recusas,
Invitus moriens corpore Gallus eris.
Ille autem; Vt noscas animo parere cadaver,
Nec quicquam in corpus iuris habere febrim,
Non animum corpus; non corpus debile, morbus
Efficiet civem Gallia (mitte) tuum:
Anglia enim corpus quæ tradidit istud habebit
Et mentem Deus, hanc, quam dedit ipse, feret.

Funebria

A Miſit geminam recèns columnam
Permœſta Oxonium & perorba mater,
Te Sydneie priùs Philippe luxit,
In quo præcipuum ſuæ locarat
Fulcrum lætitiæ & beatitatis.
Nec ſiccarat adhuc madens ocellos,
Cum deſiderat alteram columnam,
In qua ſpes iterum novas locarat:
Teq; Vntone perinde mœſta plorat,
Ac dulcem Venus impotens Adonim;
Aut magnum Thetys orba facta Achyllem.
Heu quanto premitur dolore mater,
Quo de re geminâq; ſpeq; ceſſit?

Leonardus Hutten Sacræ Theolog:
Bac: Aedis Chriſti.

Qui fuit ad Gallos ſacro pro fœdere miſſus,
Signavit, noſtram in fœdere, morte fidem.
Mors fuit infœlix Gallis, infeſta Britannis
Paci dira, mali nuncia, grata malis.
Crudelis Chriſti regno; triſtiſſima plebi
Reginæ fidei teſtis, acerba pijs.
Vntonius dum vixit, amor virtutis in illo;
Regni cum ſacrâ principe, vixit amor.
Vixit amor patriæ, pietatis, plebis, & Aulæ
Sanctior in nullo Milite vixit amor.
Dignior an lacrymis ſit mors; an vita triumphis
Neſcio, vix peperit patria terra pares.
Hic annus noſtri extinxit pia lumina belli,
Ceu mare, ſeu tellus funderet icta minas.
Rogerus. Williams eques auratus. *Vntonio Comitem Willamum fata recludunt:*
Vix duo ſecla duos priſca dedêre pares.
Anglia, quæ ſcelerum morbis malè ſana triumphas,
Hinc gravis æterni te monet ira Dei:
Excute torporem, lacrymis ſcelus elue; luctu
Effice, quo reſonet Gallia mœſta tuo.

Mutiùs,

D. Henrici Vntoni.

Mitiùs, heröes belli, ſic lumina templi
Tracta, ne Chriſti ſæviat ira tui.

Io: Williams publicus ſacræ: theo: prælect: ex fundatione nobiliſſ: Dom: heroinæ Marga: Comi: Richmon:

HVmani generis quàm ſit via lubrica, fallax,
Et celeris flexus, quàm fera fata, vides.
Languida lugubri circunſonat Anglia luctu,
Nec conſternatam mitia verba levant.
Planxit res mœſta Stanleios publica voce,
Tum Martis flevit fulmina rapta nece.
Iam merito plorat decus ordinis Vnton Equeſtris
Publica privatæ iuncta querela meæ eſt.
Nam Gallis iterum peragens tua nuncia (Diva)
Deſeruit terras, ſydera ſumma petens.
Hinc Proceres mœrent, Academia, Curia, luget,
Verbi Præcones, oppida, rura gemunt.
Neſtora conſilijs iures, gravitate Catonem,
Præſanti ſpecie Socraticum iuvenem,
Troilon appelles virtute, fideq; Ioſephum,
Amplexu patriæ & ſtemmate Codrus erat.
Facundum fora teſtantur, linguis Mithridatem,
Omnia in hoc vno ſumma fuiſſe putes.
Ergo nec immerito manibus ſua pectora tundunt,
Ploratuſq; domi lugubris aſtra ferit.
Interea ſpes certa manet te ſydera longe
Paſſibus altivolis exuperaſſe tuis.
Siſtite iam lachrymas, Vntonus vivit in aſtris
Vivit & in terris nominis auctus honos.

ONunquam faciles humano in ſtamine Parcæ
Siccine funeſtum conficietis opus?
Damnoſas cohibete manus, ne mortis anheli
Funeribus nimium precipitentur equi.
Non ſatis eſt proceres alios & ſplendida regni

Lumina

Funebria

Lumina lethæos iam ſubiiſſe lacus?
Queritis Vntonum, iacet heu mihi flebilis ille,
Ille meus, triſti corpus inane rogo.
Qualis erat, memini quàm ſe bene geſſerat annis
Cærea cum formam mens capit arte ſuam,
Florentem, vt teneris ſenſi radicibus olim
Quercum ſublimi luxuriante coma.
Cum ſemel attulerat vires animoſior ætas
Sentiet hoſtiles mortis adeſſe manus?
Forſitan huic tantum, fata, inuidiſtis honorem,
Quem poterat reduci fama dediſſe viro.
Inuideant tamen vſq; licet iam funere maior
Sydera cœleſtis ſpiritus alta tenet.

Richardus Pigotus eius olim Præcep tor
Pii officii ergô. Coll: Orial:

QVos bellicoſus Cantaber ſtruit dolos,
Quibuſq; mundum territat minaciis?
Quos Turca furvo Dite prognatum genu,
In te Vienna compulit nuper greges?
Vel quid rebellis audet (ô ſacrum caput)
Tyronus ille? Quid redux Argo ferat
Poſtquam remenſo contingit portum ſalo,
Viditq; vtriq; ſubditum Phœbo ſolum,
Vel ſciſcitari diſpudet. Sciens premit
Caliginoſâ nocte, temporum exitus,
Deus. Sed hæc me cura ſollicitum facit
Vnĩone de te (Cura non levis Deûm:)
Dum tu citatis, vectus in cœlum, rotis,
Cum Diis perennas ſæcula, ævum tranſigens
Permiſtus atavis nobilis ſtirpe editis:
Legatus illic ſiſteris coram Iove,
Cauſamq; dicis cœlico, noſtram modo.

Ioh. Budden art. Magiſt.
Coll. Magd.

D. Henrici Vntoni.

VEriùs in tumulo tibi fas Vntone ſupremo
Scribere, ſunt intus diuitiæ innumeræ:
Quàm regina olim Babylonis, nec tamen vllæ
Structum opus audebunt diſpoliare manus.
Nam circumiectis oculis quicunq; viator
Vntonum talis cum titulo aſpiciet,
Inquiet, Hoc certum eſt, (ſacris pax oſſibus eſto)
Non hæ diuitiæ ſunt hominum vlteriùs.

Thomas Wilſon artium Magiſt.
AEdis Chriſti.

SI quæ digna tuis ſeri monumenta nepotes
Conſtituant meritis, ſi quæ prudentia, veri
Tantus amor, largæq; manus inſignia poſcunt,
Quod marmor, quæ ſigna tibi, quæ thura manebunt!
Parcite fœlices cineres, ah parcite Muſæ
Languenti. Non illa tuos Vntone triumphos
Carminibus, cantúve poteſt ornare ſonanti,
Rauca per ambages effundens murmura vanas.
Diſtrahor: incerto/q; petit ſtupefacta receſſus
Muſa verecundo ſuffundens lumina fletu
Nec venit ad numeros: tacitoq; recumbere luctu
Sola cupit potiùs, tenui quam ſcindere remo
Carminis Oceanum ſummæ virtutis, & illis
Laudibus ac tanto ſplendori inſiſtere: Vires
Nam ſuperant, longumq; iter eſt, nec multa ſuperſunt.
Ipſe iaces, patriæ quondam decus. hæc neq; tantùm
Abreptum effuſos planxit lanata capillos,
Sed vicina gemit tellus, ſed languida luget
Gallia, pene ſuo tandem viduata marito.
Hæc gemitus, imóq; trahens ſuſpiria corde
Talia viſa loqui eſt. O quis? ſoror Anglia, quis me
Lugentem proprios iubet ingemuiſſe dolores
Vlteriùs? Vix parta meo medicina dolori,
Vix-dum parta quies, & quid noua vulnera creſcunt?

Hunc ego quæ reducem vidi, magnumq; salutis
Authorem nostræ quondam nunc lumine cassum
Ad patrios reducem infœlix dimitto penates.
O vtinam patrijs nunquam solvisset ab oris,
Aut mea fœlici tetigisset littora plantâ.
Osculor ast, vultusq; tuos Vntone requiro
Virtutes mirata diu, miratáq; tantum
Ingenium, pactisq; artes, & fœdera. Sed quò
Virtutes abiere tuæ? si possidet ingens
Oceanus, sequar hunc. at non complectitur vnda
Tethyos, & medijs nymphæ mirantur in vndis.
Anne sinu potius complexa est Anglia natum?
Illa habuit quondam: non nunc Europa, nec orbis,
Nec terræ, tractusve tenent: angusta fuerunt
Claustra maris, terræq; simul, virtutibus illis:
Vnicus Vntono celebri non sufficit orbis.
Iamq; novam in cœlis petijt celeberrimus urbem,
Æternumq; canit victor, lætusq; triumphis
Exultat sanctos inter, conviva deorum.

Hieronymus Wright artium Magist:
è Collegio AEnei-nasi.

AVLICI ET ACADEMICI DIALOGUS in funere Vntoni.

Acad: *AVlice cur fletur? cuius sunt funera, quæ sic*
Ornantur pompa hac, & gemitu, & lacrymis?
Si tumulanda forent pietas, sapientia, candor,
Formaq;, verus amor, tum patria & populi,
Hic luctus satis esse queat; dic ergo quis iste
Ad tumulum tantus quem comitatur honor?
Aul: *Est Vntonus: Habes satis isto nomine, quodto*
In lacrymas soluat, si tibi sint lacrymæ:
I nunc & mæstos quisquis sis, indue vultus,
Vntonus periit: periisse mori est?

Haud

D. Henrici Vntoni.

Haud aliter periit; nam famâ vivit, & illa
Æterna (nunquam quæ peritura) anima.
Multa tamen periit pietas, sapientia, forma,
(Dum periit,) multus candor amorq; simul.
Nec luctus satis ullus ad hæc tam perdita damna;
O vtinam lacrymis his reparanda forent.
Sed non fata sinunt, rebus fata invida nostris,
E medio talem quæ rapuere virum:
Quem vivum magè quo quisquam laudavit, amavit,
Tanto defunctum fletq; doletq; magis.
Sic dixit cui; mox clamando rettulit ille,
Acad: *Vntonus periit! quàm gravis ille τὸν Θ!*
Vntonus periit! quid nunc mors quid potes vltra?
(Parce animæ sacræ Principis) cuge nihil:
Sæviisti nimium, nimis imperiosa fuisti:
Sic ne soles hominum tollere delicias?
Vnus erat tantùm fateor qui mortuus: atqui
Instar multorum vivus, is unus erat:
Optimus Vnton erat pacis belliq; minister,
Et componendis litibus aptus erat:
Publica prudenter tractare negocia scivit,
Et discernendis rebus acutus erat.
Ingenio quantum valuit (multumq; valebat)
Tantum opera, & studio profuit ille suo.
Nemo in iudicijs fuit vnquam iustior: omnes
Qui Christi leges calluit, atq; fori.
Nec quis consilio melior, quod Elisa videbat,
Quæ magnis fungi muneribus voluit:
Et dixit certò dignum maioribus esse,
Dignior hoc (quòd sic dixerat illa) fuit.
O si vixisset; (frustra hoc:) comitemur euntem
Ad funus, quem mors abstulit ante diem.
Et mœstis lacrymas pariter fundamus in vrnam
Chari equitis; nostri hoc pignus amoris erit.
Sic tu Aulæ decus extinctum, Musarum ego flebo,
Atq; ita dum flemus, flebit vterq; suum.

HEu miserum; quænam est tantorum causa malorum?
Omnia vt in nostras collecta elementa ruinas
Viribus armentur, nam verè armata videntur,
Vt secum pugnent, & nos pugnantia perdant.
Nec satis hoc; en tota cohors cœlestis in vnum
Conspirat, tristes Hyades, & aquosus Orion,
Ardentesq; canes, anguesq;, pigérq; Boötes,
Et septem errantes stellæ, & coniuncta malignis
Sydera syderibus, totas vomitantia faces
In pestes, dirámq; famem, pecudumq; hominumq;,
Et mortes, medicis nondum de nomine notas?
Magnum est, quo gens hæc misera, atq; immunda Deorum
Numina tentavit, magnum scelus expurgandum est;
Quale fuit veteris mundi pereuntis aquarum
Diluvio, aut pulchræ miseranda strage cadentis
Hierusalem:
NOnne patent signis iræ, & vindicta Deorum,
Cum veluti Niobes proles numerosa feruntur
Assiduum in funus, iuvenes, equites, comitesq;?
Primus Sydneius, tum post Hattonus, & inde
Candicius, Chidleyus, & Huntingtonius heros,
Morganus, Gulielmiades, duo fulmina belli,
Atq; Papistarum Whitakerus, malleus: ast hic
Non cessant, pergunt cœli, & maiora minantur,
Post illos alij funduntur, & vltimus Vnton
Corruit, immaturus adhuc, superesséq; dignus
Longiùs, & serò ad superos devolvier ipsos:
Sed rapitur, durum hoc, ast multo durius istud,
Quòd rapitur media ætate, & florentibus annis,
Quòd longe à patria rapitur, quòd Gallia vidit,
Anglia non vidit morientem, quæ tamen illum
Viventem cuperet magis: at nunc vivit in alto
Dijs mixtus, gaudetq; ornari hoc hospite cœlum:
Nos tamen interea premimur, gemimúsq; ferentes
Pondera magnorum vix supportanda malorum:

Sævitum

D. Henrici Vntoni.

Sævitum ſatis ô Superi, nunc parcite terris,
Parcite ſupplicibus miſeris, dabimuſq; Hecatombem
Et vota ante aras fundemus plurima veſtras.

In tumulum Carmen.

O marmor fœlix, & nobile, ſi lapis vnquam
Nobilis, & fœlix, non ſic veneranda fuerunt
Illa antiquarum tot marmora ſtructurarum,
Aut quèis Pyramides tumuere, altéue Coloſſi
Surrexere, ſoloq; graves, cæloq; minaces.
Stato diu marmor pulchrum, & memorabile, multis
Incorruptum ævis, donec vox vltima, Surge,
In nihilum verſos cineres de pulvere terræ
Suſcitet, vt formam capiant vitamq; priorem.
Sic cùm anima in partes ſe chara receperit illas,
A quibus imperio eſt mortis diviſa, volabit
Ad cœlos iterum, corpuſq; aſſumet, ad illas
Æternas ſedes vbi perpetuo requieſcet
Cum Cherubim, Seraphinq; beatis, & magnis Dijs.

Barnardus Adams artium Magiſter
è Collegio S. Trinitatis.

O ſummis fatale viris & funebre tempus!
Funera denſantur, multa & cadit hoſtia Diti,
Nec tam multa cadit quam nobilis, invida nunc hos,
Deinde alios, ſeu Parca rapit, ſeu numinis ira:
Jámq; adeo aſſuetæ cum nymphis texere ſerta
Pierides, choreáſq; ſequi dulcéſq; hymenæos,
Invitæ ad tumulos atro ſiſtentur amictu.
Exequias reſonare, & mæſtum dicere carmen.
Vt quemq; aut genus, aut patriæ pia cura ſalutis,
Cana fides, præſtanſq; immoto in pectore virtus
Nobilitat, diàs prior exit luminis oras:

Hunc morbus consumpsit, at illum toxica tetra,
Degeneresq; doli, hic dubij in certamine Martis
Occubuit, fortemq; animam cum sanguine fudit.
Tu quoq; Musarum iam causa novissima luctus,
Dum patriæ pius inservis, data munia curas
Strenuus, ignavis non committenda lacertis,
Die Vntone peris: tellus rapit hospita nunquam (heu)
Visurum patriosq; lares, & Principis ora.
Grande tui desiderium patriæq; tuisq;
Liquisti, sed suaviloquis ante omnia Musis
Flendus obis, (nec enim Musis iucundior alter.)
Quanquam namq; loco multos & honoribus infra
Tantum equitum media te Anglorum in sorte gerebas,
Nec tibi spernendi tamen aut de plebe parentes
Orto stirpe ducum, (nec te hoc fugit improbe livor)
Nondum etenim immensas implerunt præmia laudes,
Tardior & meritos fasces fortuna negavit,
Celsior ast opibus sursum caput ardua virtus
Extulit, obstanti indignans sese obice cingi:
Quare inter primos merito te fama celebrat,
Et re non humili quanquam illa, sed potior re
Gloria magnanimis socium te heroibus addit.
O si spem talem supremam attingere metam
Et iustos per fata daretur surgere in auctus:
Non Laërtiaden, Pylium non Nestora Graij
Prætulerint, tumefacta suos non Roma Camillos:
Nondum etenim flavum secuit Proserpina crinem,
Nec calidus iuvenili excessit corpore sanguis,
Cum solida laudis numeros implevit omnes,
Μύθων τε ῥητὴς fuerit πρηκτήρ δέ τε ἔργων.
Anne querar de te? te incusem Gallia? sed tu
Gallia nolebas: nam tanti te quoq; amici
Credimus indoluisse neci: tibi tempore tristi
Nota viri virtus: quin & rex maximus ille
Cognata captus specie virtutis, amore
Complexus vivum, nunc cassum lumine luget,

Atq;

Atq; suas lacrymas lacrymis coniungit Elysæ.
An fatis astrisq; amens convitia dicam
Non profecturas fundens per inane querelas?
Frustra equidem: tamen est quædam, accusasse, voluptas,
Et species vindictæ, animumq; explesse iuvabit.
Grande loquuturis linquamus vatibus ista,
Castalio quis ora madent perfusa liquore,
At nos incultis quantumvis versibus, alto
Pectore te Deus alme iterumq; iterumq; rogamus
Parce tuo populo, & propiùs res adspice nostras,
Custodes patriæq; fideles, mascula corda,
Qualis eras Vntone vel ô tu maxime Deureux
Quem nunc æratas ducentem in prælia classes
Miratur Gradivus & ipsæ Tethyos vndæ,
Da superesse diu, seroq; occumbere fato.
Αλλ' ἔχθρους οἰκόνδε κακαὶ πέμψειαν ἀνάγκαι
Ἑσπέριον κατὰ κῦμα φίλων μόρον ἀγγελέοντας
Τέκνοις ἠδ' ἀλόχοισιν ἀριθματοῦ ἀπὸ πολλῶν.

Franciscus Fielde artium Magister è
Collegio Trinitat.

QVam mihi tu præbes vrticam Gallia, mordes
Si leviter tango, si premo dente cares.
Quæ mihi victa tuos dederas pro stemmate FLORES
Subducis FLORES iam modò visa meos.
Flos belli Deureux, pelagi Frobisherus, vterq;
Est mihi detonsus, dum tua bella gerit.
Tertius his, tamen his nulla virtute secundus
Autumno Vntonus vix ineunte cadit.
Hunc sibi relligio, plebs hunc, hunc Musa reposcit,
Nam tria præsidio texerat ista suo.

Henricus Priceus Art. Magist.
è Colleg. S. Ioh. Bap.

Mittitur vt missus Iunonis nuncius Argus
Et Gallos Vnton non rediturus adit.
Nuncius ille Iouis vigilem Cylenius Argum
Luminaq; aterno virga sopore premit.
Dum vigilat paci, Iouis alter nuncius Vnton,
Et quem non hostis, mors mopina rapit.
Stellatam faciunt ea centum lumina caudam,
Hic laudum stellas gloria mille refert.
Nam quem te memorem? Martinatumnè Minerva?
Vtra magis? multum laus vtriusq; viget.
Anglia prudentem, te sensit Gallia fortem,
Hostibus en quantus terror, amorq; suis?
Ipse colens Musas Musarum fovit alumnos,
Consilio prudens, relligione pius.
Quem pia nil coniux flexit, cum Regia Iuno
Posceret, & patria cura salusq; sua.
Immemor ergo sui Gallorum fertur ad oras,
Qui generis spes est vltima, gentis amor:
Fœdera nectentem pacis, bellumq; gerentem,
Hîc rapiunt multis funera flenda modis.
Atq; vtinam gemitu, quod cantu dicitur Orpheus,
Possent tartareum flectere vota Deum.
Tolleret is vita, qui fecit morte dolorem,
Et luctus posset luctibus esse modus.
Nostra sed in cassum repetunt suspiria demptum,
Nec prece nec precio qui revocandus abest.
Cur igitur demptum sine spe lugemus amicum
Sint quasi Lethæis omnia mersa vadis?
Non periit nobis et si periisse videtur,
Virtutum vt stella, lumina mille micant.
Sic vivit, vitaq; manet fœliciter atas,
Quippe quod æternum nox dedit vna diem.
Et sua sunt illi, nobis sunt nostra relicta:
Spiritus astra colit, terra cadaver habet.

N. Kemish artium Magister
è Collegio Magdalen.

D. Henrici Vntoni

Quem Musæ vivum, Musas qui vivus amârat,
Hunc vita functum Musa tacere vetat.
Ergo agedum mea Musa, virum ne dicere cesses,
Quem non vlla valet dicere Musa satis.
Scilicet ignoti pereant, & nocte sepulti
Æterna, & casu corpore nomen eat;
Qui nihil in tota faciunt memorabile vita,
Quorum idem est famæ terminus atq; necis.
Te verò, quem bella virum Mavortia fortem,
Et civem sensit pax peramœna bonum;
Quem bis legatum iam Gallica viderat aula,
Et validum experta est, magnanimumq; ducem;
Te, quem senserunt belliq; domiq; fidelem
Plebs, proceres, princeps, patria tota, virum;
Deniq; quem veræ virtutis laude vigentem
Novit, & agnovit livida turba libens;
Æterno celebrent præconia nostra boatu;
Buccinet & laudes lingua diserta tuas.
Insuper ad seros transmittat fama nepotes:
Ne quando tanti nominis vmbra cadat.
Parte quidem meliore tui super æthera vivis,
In terris itidem fama perennis eat.
Dignus eras, vivus qui plurima lustra videres,
Dignus es, ablatum quem modò Musa sonet.
Hæc igitur monumenta tuæ virtutis, amoris
Signa sui, meritis inferiora tuis;
Hæc tibi defuncto Musarum sacra colentur
Manibus, atq; vmbræ dona dedere tuæ.

Thomas Hammond. art: Magist.
Aedis Christi.

Quis deus addet opem misero, dum funera mœstus
Ornabo lacrymis carminibusq; meis?
Montibus accedo, sed sunt sine numine montes:
Fluminibus, nullum flumina numen habent.

Quid faciam? magno depressus amore, rogabo
Cum quo non licuit vivere, posse mori.

Gallia quæ toties mensem, commutat & annum,
Nunc quoq; quo verè tempora mutet, habet.
Mitte annos Regum victi memorare Caleti,
Aut magè si nostris gaudeat illa malis:
A morte Vntoni iubeat procedere menses:
Eheu quòd nostris incipit illa malis.

Carolus Rivius artium Magist.
è Colleg: Nov:

O Stultos homines vanis qui versibus ornant
Frustra magnanimi mœsta trophæa viri.
Credutis Vntono *modò tot virtutibus amplo,*
Tot titulis magno, vestra placere metra?
Fortunas, vitam, splendorem nominis omnem
Largitus patriæ, carmina sola petit?
Sed benè conveniunt virtus, & versus; vtrumq;
Alterutri dos est; tertia nulla datur.
Walsingamus *opes per cunctas dissipet oras,*
Deferat ut patriæ quæque futura suæ:
Transvolet auriferos confestim Dracus *ad* Indos,
Navibus immensum per mare mensus iter:
Belgas Sidnæus *repetat, Dux* Greius Hybernos,
Celtas Vntonus, *præmia magna ferent:*
Hæc duo nimirum, Mortem Carmenq; : quid vltra?
Amplius ecce nihil secula nostra creant.
Pergite felices Proceres. Nam præmia restant
Hæc eadem vobis: Carmina, Mortis honos.
Carmina ne desint, quamvis vulgaria nostra,
Sex vobis, saltem quatuor ipse dabo.

Laurentius Humfredus artium Magist:
è Collegio Magd:

Vntonus

D. Henrici Vntoni.

Vntonus moriturus ad Eliſabetham.

VIve diu fœlix, pectuſq́ manuſq́, pedeſq́
Conſervet Chriſtus (Diva ſerena) tuos.
Quid gemis heu tanto fœlicia funera luctu?
Turbantur lacrymis gaudia noſtra tuis.
Parce precor triſtes queſtus effundere: vixi:
Non erat in fatis longior hora meis.
Præproperè perij: ſed tu diuturnior annos
Vive meos (Princeps candida) vive tuos.

CErnis ut ignitis raptetur ad alta quadrigis
Spectatus celſa mente propheta Dei:
Sic queîs Chriſtus amor, queîs princeps cura fuere,
Ad cœli niveis caſtra vehuntur equis.
Hos pete legatus ſupremi principis Vnton,
Addite cœlicolis pars veneranda Choris.

R. Balle artium Magiſt: è Collegio Magdalen:

ACADEMIAE DE CLARISSIMI Equitis Domini Henrici Vntoni ſui quondam Alumni obitu Elegia.

SIdnæi interitu & lacrymoſo funere dudum
Triſtis & in lacrymas tota ſoluta fui.
Nondum ceſſâram, nondum ſolatia tempus
Addiderat lacrymis, triſtitiaq́ modum,
Cum ſubito Hattoni caſu, lethoq́ dolendo
Exprimeret gemitus altera cauſa meos.
Invida fatorum ſeries, crudelia Parca

Numina, tuq; atri nuncia ſæva Dei.
Quam merui pœnam cur ſic orbata manerem,
Olim quæ duplici prole ſuperba fui?
Quales perpaucos enixa eſt Anglia, quales
Vix tulerat priſco tempore Roma viros.
Non tamen hîc ſiſtit fati vis, tertia proles
Occidit Vntonus, deliciæq; meæ.
Tertius acceſſit dolor, & ceſſêre priores;
Iam levis eſt luctus qui fuit ante gravis.
Aut quia plus præſens dolor afficit, aut quia verè
Vntoni mihi ſunt fata dolenda magis.
Fortis Eques, doctus belli paciſq; miniſter,
Auguſtus vultu ac corpore, mente gravis.
Quid memorem longo memorandas tempore laudes?
Nam vel in hoc vno conſtitit eſſe viro
Quicquid præclarum Sidnæi in pectore, magnum
Quicquid in Hattono magnificumq; fuit.
Ergonè quæ ſummo ſtudio, ſummoq; labore
Fecit longa dies, auferet hora brevis?
Anglia quas peperit virtutes, Gallia perdet?
Et nihil eſt patriæ vivere poſſe ſuæ?
Quid ſatis ad vitam cauſæ eſt; ſi non ſatis hoc eſt
Vivendo patriam poſſe iuvare ſuam?
Alme Deus, quæ ſit tandem iactura bonorum
Anglia ne tanto ſentiat orba viro.
At potuit certè levior iactura videri,
Si de tot, ſoboles vna maneret, avis,
Quæ meliore luto formata in imagine patris,
Creſceret in gentis ſpemq; decuſq; ſuæ.
Venerat ad ſummum naturæ Vntonus, & eius,
Nemo, virtutes qui ſequeretur, erat.
Nam neq; maiorem potuit natura creare,
Nec tanto inferior debuit eſſe patre.
Vos ô Nobilium iuvenes, generoſa propago,
Quos fovi vberibus, iam foveoq; meis;
Et qui conſilij, grandiſq; elementa futuræ

Virtutis

D. Henrici Vntoni.

Virtutis docto è flumine combibitis:
Crescite ad imperij titulos, patriæq; iuvandæ,
Qui fuit Vntoni sit quoq; vester amor.
Sic fiet quoq; vestra insignis gloria, vt illi
Laus hæc æterno in marmore scripta manet.

CLarus Eques iacet hic Vntonus, gloria summa
Quiq; fuit patriæ, quiq; futurus erat.

Franciscus Yonge artium Mag.
Coll. Trinit.

FLevimus, exhausti lacrymis, dum lumina gentis
Flebilis adverso numine facta cinis.
Sat primi cecidere virûm: cur vna superstes
Vita, tot amissis, invidiosa foret?
Illa quidem factura moram: dare siqua valeret
Vivendi pietas, & benefacta moram.
Alterius nec vita viri magè digna manere:
Nostra parum quanquam tempora digna frui.
Impietas heu nostra vetat superesse salutem;
Hic quoq; nam poterat pluribus esse salus:
Vitaq;, dum superabat, erat, vellemq; nec vltra
Quàm patriæ virtus littora nota foret.
Nunc schola præsidium, pietas amisit alumnum:
Aula decus, raptam mœret Elisa fidem.

Robertus Burroll. Artium Magist.
Coll. Corp. Christ.

Angliæ ad Galliam Querimonia.

O quæ nostrorum maduisti sanguine Terra,
Ob quam sponsa suo flet viduata viro;
Flet natis orbata parens: Quo sidere morbos
In mea damna, tuam perniciemq; creas?

Venerat Vntonus *pacali cinctus oliva,*
Gentibus vt noſtris ſtaret vtrinq; ſalus.
Inſanis, nec te manifeſta pericula terrent;
Ah, ſatis Hiſpanus non tibi notus adhuc?
Stulta moras nectens môraris, & indigamentis,
Hoſtibus in caſſes præda petita venis.
Quiq; tuæ fuerat ſuaſor fautorq; quietis,
Febribus immiſſis occidit ante diem.
Hinc tua præſidij ſpes intercepta videtur,
Vnis exequiis paxq; ſepulta iacet.
Tuq; paroxyſmum paſſa es; ſunt caſtra Caleti
Terribili tonitru nuper adempta tibi;
Maſſiliæq; *recens plaga eſt, quæ proxima ponto*
Stat Narbonenſis *gloria prima ſoli.*

GAlenus, *ate, Domine terrarum potens*
Marce *Imperator, precibus adduci nequit*
Vt viſat oras Galliæ *poſitas procul,*
Rutilâ tepentes ſolis occidui face;
Inamœna loca, gentemq; crudelem ratus.
Galene, *quaſo, credet hoc quiſquam tibi?*
Vt eſſe genti felleum pectus putet,
Cui lacteus candor priùs nomen dedit?
Etenim, Petroni, *nulla debetur fides*
Hîc tibi, quòd albas illinant cretâ genas,
Quo more glaſto tinxerant vultus ſuos
Britones, *vt hoſtes ore terrerent truci.*
Timemus interim ſolum & cœlum minax;
Vntoneq; *tuo nuper edoctus malo,*
Fugiſſe cautè tabidas auras puto
Medicum peritum: vtinamq; tu curâ pari,
Tuæ fuiſſes prodigus vitæ minùs.

Ioh. Sanf. artium Magiſt.
Colleg. Magd.

Cui

D. Henrici Vntoni.

CVi mens, cui facies Heroibus æmula priſcis,
Cui nec opes parca, cui neq; parvus honos:
Ad quem certatim ſua congeſſere beandum
Et Venus, & Charites, Aonidumq; chorus:
Cunctarumq; inſtar Venerum, Charitumq; favore
Quem dignata fuit mitis Eliza pio:
Henricus iacet Vntonus. Quo marmore tantus,
Quâ Mauſolæâ mole tegendus Eques?
Quis, qualis, quantuſq;, tenes. nunc quomodò paucis,
Nunc vbi, nunc periit quâ nece, lector habe.
Ferveſcens habitata malis Campania Gallis
Vi, rabie, prædâ, vulnere, cade, face,
Dum parat exercere rebellia corda domantem
Lilia Borbonium qui ſua Marte petit:
Tractatum Vntonus cum rege negotia miſſus,
Regia legatus tutus ad ora venit.
Mandatum ſibi munus obit, reſponſaq; danda
Indutus galeâ, cinctus & enſe manet.
Intereà rex hinc, hinc factio fulminat armis,
Intrepidè pugnam conſpicit Anglus Eques.
Nulla ibi tam iuris, quod gentes ſpectat ad omnes,
Legatum vt violet, neſcia cuſpis erat.
Legatum vt violet, tam trux, tam barbarus enſis,
Qui tamen auſus erat peſſima, nullus ibi.
Legatum vt violet, qui mœnia ſternit & arces
Non Baſiliſcus ibi tam ſceleratus erat.
Nomine legati tanquam teſtudine tectus
Dum nihil Vntonus cuncta pericla facit:
Ecce per armorum vilis febricula rimas
Pectoris irrepens ad penetrale venit.
Nunc face quæ torret, glacie nunc congelat artus,
Auget inexpletam viſceribuſq; ſitim.
Hæc intemperie mentemq; & membra fatigat,
Donec mens motrix membra movere negat.
Dolce Vntone vale: nec mors ingloria vitæ
Ne tua dedecoret, mordeat acta dolor;

Armis

Armis clarus eras, malles cecidisse sub armis,
Miles ab imbelli febre perire doles.
Sic infesto elephas pede triverat antè leonem,
Cui mox mus lethi causa pusillus erit.
Mens generosa vale; petis astra; revisere carnis
Post pauca exuvias sæcla memento tuas.

Pet. Smart. Artium Magister Ædis Christ.

Calliope ad Famam.

O mihi thuricremis semper venerabilis aris
Fama, salus hominum, Pieridumq; decus:
Ocius accelera cursum pernicibus alis,
Et careant somno lumina, nocte vola.
Quâ pateant picti flammantia mœnia mundi,
Ora sonet linguæ, buccina rauca sonet.
Parca meis inimica nimis, nimis aspera natis,
Mercuriusq; suum percutit ipse gregem.
Euge ego chara parens Untoni prole beata,
Pieriisq; iugis ubera plena dedi.
Vbera Nectarei stillantia flumina mellis,
Sic crevit proles Palladi chara, Iovi.
Martis & emicuit, Veneris, Iunonis in illo,
Mascula vis, hilaris gratia, rarus honos.
Hunc Dij Tartareis cupiunt sepelire tenebris,
Clausit & extremum Gallia sæva diem.
Ergo age rumpe moras, silvis circumsonet Ecchо,
Vntonum resonent sydera, terra, fretum.
Long ævam quamvis Heröi reddere vitam,
Nec Glauci gramen Praxitelésve potest.
Fama potest mortis domitrix, & funeris index,
Ingeminat laudes castra remota petens.
Untonus superest, caput inter nubila condit
En æterna salus, fama perennis erit.

Thomas Peacocke Artium Mag.
Colleg. Ænei-nasi.

D. Henrici Vntoni.

Parca fatales, opus irresolubile nentes,
Et gelidum luctu mors adoperta caput:
Claudite iam nimium reserati lumina Ditis:
Plus vnum numero vendicat ille suo.
Non tibi, non vltrà patriæ potes vtilis esse:
Vtilior patriæ, quàm tibi, sæpe tuæ.

Non ita, nec patriæ dignus revenire fuisti,
Patriæ nec reducem cernere digna fuit.
Redde virum, non sic tibi, Gallia, creditus ille;
Quem tibi credidimus Gallia redde virum.
Tam sis hostis iners, hostis siquando futura:
Quàm mala legatis hospita semper eras.

R. B.

Mirabar quæ causa foret, cur tanta supernè
Vis pluvia, hoc anni tempore, decideret.
Mox animum vt subiit, tua mors, Vntone, fatebar
Quòd pro te cœlum fuderat has lachrymas.
Hinc quoq; terra dolet? sic est: ô qualis eras, quo
Extincto, cœlum terraq; collachrymant!

Guilielmus Gibbins, art. Magist.
Ædis Christ.

Mens abit & morior quoties morientis imago
Me subit Vntoni, lachrymarumq; imber in ora
Irruit, at q; animæ medio vox tramite inhæret.
Vt fari nequeam quo fato quove deorum,
Qui terra dudum vixit dignissimus, esset
Dignior ille tamen cœlo cœtuq; deorum.
Atq; animus meminisse horret nihil esse, virorum
Quod saltem volitet plus vna ætate per ora,
Exiguum nostri monumentum & pignus amoris.
Dumq; abiit redit q; horror me mente iacentem

Solatura venit mea Musa, poloſq; tueri
Iusſerat, attolliq; animos, dum talia fando
Ipſa tamen lachrymas nequeat cohibere, & ab imo
Pectore dum gemitu ducat ſuſpiria multo,
Infandum ſenſit, iuvat & renovare, dolorem:
Ter conata loqui, tandem ſic ora reſolvit:
Cùm peteret terras paribus Cyllenius alis
Vera Iovis proles, belli paciſq; miniſter,
Imperium terrarum vrbeſq; locoſq; reviſens,
Conſtitit, vt Gallis advertit lumina regnis:
Iura magiſtratuſq; volans, ſimulataq; cœlo
Imperia, agnoſcit ſuperûm ſibi credita ſolis
Munera legati, mortali exercita curâ.
Tum ſecum: en vires, en noſtra potentia, nomen
Et decus, a nobis haud multum abludit imago.
Sed num mortalis decus immortale ſequatur?
Aut benè Cælicolis humana potentia certet?
Experiar mihi iuſſa data, ac mihi credita ſorte
Imperia: en adſum ſummo Iove miſſus ab alto
Nuntius, vt portem venturi nuntia fati.
Cede deo fatoq;, (caducifer amule cede:
Sed prius hæc capias ſolatia mortis ad vmbras
Quæ dicam, fatis contraria fata rependens:
Vixiſti felix, alio felicior orbe
Victurus, ſic mors tibi vitam, & triſtia læta,
Et tenebræ lucem, tumuli locus æthera reddent.
Neſcio ferventi quæ plura in pectore clauſa
Prompſiſſent dolor & pietas, ſubitò niſi ad iſtas
Torpuerat, quas ipſa tulit, ſeu ſaxea voces.
Nec poterat, ſi vellet, opem dare ſæpe petitam.
Nulla ego ſic Musâ, nullo ſic numine fretus,
Solus naturæ vitium deploro ruentis
Labentiſq; in deterius, fleo multa virorum
Millia nobilium qui detruduntur ad Orcum:
Hectora, Tydidem, ſepteno & tergore fulcum
Aiacis clypeum, molemq;, & pondere vires:

D. Henrici Vntoni.

Teq; inter primos memorandum Vntone Camena
Te mea deflebit, simul ô si vivere verè
Æternamq; daret vitam, non te vlla vetustas
Vlla dies vnquam memoriq; nec eximat ævo.

Iohan. Greaues Socius Collegii
S. Trinitat.

CArmina Cyrrhæo non sunt hæc scripta furore,
Auspice non Phœbo, non dictante Hippocrene,
Pierius menti calor excidit: en mihi laurus
Marsat, proq; hederâ subijt plorata cupressus:
Sublato te magne Vnton exaruit omnis
Castalia, Aonius q; Helicon & docta Pirene.
Effrænis dolor assistit mihi solus, & audax
Squallentem impellit Musam, questusq; ministrat.
O si quam virtus meruit, fortuna dedisset
Musam, quæ æstro Mæonio, dignoq; calore
Ingentemq; animum, atq; ingentia facta sonaret,
O quantum exemplar fueris, quantus stupor ævo
Venturo, quam latè Vntonia fama volaret?
Laude orbata suâ gemerent Æneia busta,
Et vinci magnus virtute doleret Achilles.
O fortunati nimiùm, Musæ quibus aras
Struxerunt, non marmoreas, vel de ære caduco,
Sed quæ regificum luxum, atq; audacia saxa
Pyramidum vincant, & Mausolæa superba.
Huic O si tantum tribuisset Musa Poesi,
Vt damnosi expers senij tua nomina possit
Eripere, & flammis, & crudeli Libitinæ:
Quàm grato sudore meum testarer amorem?
Quàm grato sudore tuum molirer honorem?
Hanc sed Diva negat dignam tua pandere facta,
Facta illis condenda, quibus Thymbræus Apollo
Plectra dedit graviora, & sancti pectoris aurum,
Et celebrare duces, Martemq; æquare canendo.

Nos humiles animæ non tanti pectoris ignes,
Non tam munificam dextram, vultuſq; venuſtum
Aſpectum, Hermaæ non mellea flumina linguæ,
Eximioq; locatam Heroëm in corpore mentem
Poſſumus accinere, at quod ſolum poſſumus, atrum
Squallorem plauctuſq; pios, numeroſq; ferales,
Carminaq;, & lachrimis & multâ ſcripta liturâ,
Et gemitus veros, & ſingultantia verba
Offerimus cineriq; tuo, ſanctaq; ſepulchro.
Nec quanquam Eliſiis tu fœlciſſimus arvis
Mæonii, Aſcræiq; ſenis magniq; Maronis
Carmine ſublimi, Muſaq; fruare beata:
Deſpicias ideo hanc humilem indignamq; Camenam,
Quam dolor & pietas chara cecinere faville.

Edwardus Banbury artium Bacc.
Coll. S. Trinit.

O mihi Mæonides ſi Muſæ in carmina vires,
O mihi ſi ſuperi totum Helicona, darent.
Pallida ſit quamvis, ſit ſe crudelior ipſa,
Mortis ad hæc faceremtingeret ora rubor.
Quinneq; Neſtoreos Untonus dignior annos
Vivere, nunc eſſet præda futura neci.
Indignor quòd, dum laſcivi ſcripta Catulli,
Et tua dum pueri carmina, Naſo, legant;
Pſittacus Indus in his, & vilis paſſer in illis,
Per quod nunc vivunt, nobile carmen habent;
Tu tamen interea careas, Vntone, poetâ,
Per quem viva hominum fama per ora volet.

Anglia ad Galliam.

Sic ſceleratæ meum mihi Gallia reddis alumnum?
Non ſic Gallos Anglia reddit.
Vidamus his nuper Carnuti ſoſpes ab oris,
Atq; alius quicunq;, receptus,

Pub-

Publica, ſi neſcis, populorum iura profanas,
Nam patria mandata gerebat.
Rex equitem reddat, mihi reddat Gallicus Anglum,
Hæc pietas debetur vtriq;.
Sed neq; rex equitem reddit, neq; Gallicus Anglum,
O crudelis & impia vtriq;.
Me miſeram, quàm diſſimilis iam totus ab illo eſt,
Qui dum viveret eſſe ſolebat?
Illaq; mentis vbi eſt, vbi corporis illa venuſtas,
Et facundæ gratia linguæ?
Debueras ſaltem mihi reddere Gallia corpus,
Sed neq; reddis Gallia corpus.
Non hic ſunt veteris veſtigia nota nitoris,
Sed mutum torpenſq; cadaver.
Dic quo damna tuo merite mea tanta rependes,
Vix etenim tu Gallia tanti eſt.

Gall: ad Angl:

AH quanto mihi mors tui cruore,
Quanta ſtrage ſtetit maloq; alumni?
Sic cùm Perſephonem Ceres ſequuta eſt,
Numquam Perſephone tamen reperta eſt:
Terram, ſiqua gerat notas rapinæ
Plectebat, quia nata non retenta eſt.
Lætare Anglia, mater es; noverca
Ecquid nati etiam cupis videri?
Quod vitæ titulum feras beata es,
Quod mortis titulo vaces beata es.

MIrabar, quid tot nubes contraxerat æther,
Cur Phœbus nigris flebilis ibat equis;
Ceſſanti, toties cur nimbus fluxerat, Auſtro,
Cur toto voluit terra madere die,
Hæc, Vntone, tuam lugebant omnia mortem,
Et cœlum pro te ſolvitur in lachrymas.

Occiderat postquam externis tibi frater in oris,
Imperio profugum conatus reddere regem;
Tuq; vnus fueras totâ de gente superstes,
Iam certè dixi multos constabit in annos
Vita tibi, nec erit tantum delebile nomen.
At mea damnârunt triplices præsagia Parcæ,
Te quoq; mors rapuit medijs immitis in annis.
Sed puto iusta tuam comitatur gloria mortem,
Scilicet adverso vel honestum pectore vulnus
Excipit, & medios virtus hortatur in hostes,
Vel pia nefandos constantia mittit in ignes;
Felix ô nimium felix si talia passus,
Spiritus ad superas evaserat impiger oras.
Sed velut Oënidem fatali in stipite flamma
Carpsit, & ignava labefecit tabe medullas;
Vtq; venenato correptum munere virus
Amphitryoniaden alto torrebat in Oeta;
Sic tua carpebat lentas præcordia morbus,
Torridaq; in toto regnabat corpore febris.
Nunc armis iterum deos Typhoëus,
Et centum manibus Gyas lacessit;
Nunc quicquid Siculâ latebat Ætnâ
Oppressum, emicuit recèns Gygantum;
Tutas cœlicolæ venustiores,
Musæ, Iuno, Venus, Iocus, Cupido,
Vltrò solliciti petunt latebras,
Nec Martis satis, Herculi, sibive
Fidit rex superûm, timetq; cœlo.
Hinc pugnam Briareus, Iberus illinc
Horrendos rabidus, ciet, tumultus.
Hinc, Vntone, iaces; dies per omnes
Qui civis patriæ vtilis fuisti,
Miles magnanimus Iovi futurus.

Robertus Pinck,

Nuper

D. Henrici Vntoni.

NVper Gorgoneo vehi caballo
Olympi superas ad vsq; sedes
Visus sum mihi, qua Tonantis altæ
Ad ædes via Cælitum patebat.
Hic vidi Iliaden Iovis ministrum
Nectar Dijs epulantibus ferentem:
Hic lætis alijs, Atlanta vidi
Languenti similem, suas dolentem
Vices. Hunc taciti rogo doloris
Quæ sit causa. Refert Atlas: Deorum
Infælix ego solus, omnis expers
Iucundi, assiduo labore lassor.
Et nunc alter adest, premitq; grandis
Sic nostros humeros, vt ipsa vasti
Mundi machina sæpius vacillet.
Ne pronus ruat ergo mundus (inquam)
Alciden adeas, opemq; poscas.
Ille est, ille humeris vel irreflexis,
Qui cælos tulit, & Deos prementes.
Hoc inquit sequar: Herculem rogabo,
Cervice vt subeat polo ruenti:
Et quem sic Acheron stupet, Diiq;
Mirantur superi, hunc, celebris heros,
Quem calcet pedibus suis habebit
Vntonus super astra collocatus.

EXpergiscere nunc Thalia languens,
Expergiscere luctuosa Musa,
Et nostros numeris referto luctus,
Vntoni numeris referto laudes.
Quamvis quæ numeris referre possim,
Quæ vincunt numeros Libyssæ arenæ?
Nec sum huius numeri bonus logista.
Ergo quid faciam miser miserq;?
An recte tacitum sequar Timantem,
Et luctus referam meos tacendo?

Et laudes celebrem tuas tacendo?
Sic ô ſic faciam tuaſq; laudes
Vt nullus potuit ſequi loquendo,
Sic omnes poterint loqui putando.

Georgius Bate Soc: Colleg: Nov:

VIcta dedit flores, nunc aufert Gallia florem,
Et non quem dederat, ſed quibus illa dedit.
Et non quem dederat, ſed qui magè floruit illo,
Et qui multorum pondus & inſtar habet.
Gallia quos equitum vel quos habet Anglia florem
Scilicet Untonum Gallica terra rapit.

PEllæus iuvenis cùm erat peremptus,
Regem regia luxerat niſi vna.
Unton egregius diem (heu) obivit,
Regiaq; Equitem duæ celebrem
Lugebant, gemituq; perſonabant,
Hæc Britannica & illa Gallicana.
Hic namq; eſt honor ipſe mortuorum.
Ipſæ Pierides ſuäve plorant,
Sicut exequijs tuis, Achilles,
Sic in exequijs tuis Vntone.
Hic namq; eſt honor ipſe mortuorum.
Armis exequias tuas Achilles
Armis exequias tuas Vntone
Heröes decorant, eques pedeſq́.
Hic namq́ eſt honor ipſe mortuorum.
Noctes Gracia quindecim ſuperq́
Duas fletq́ pares dies Achillem;
Noctes Anglia quaſlibet ſuperq́
Et luget totidem dies Vntona,
Hic namq́ eſt honor ipſe mortuorum.

Edwardus Evans Colleg: Nov:

Quin

D. Henrici Vntoni.

QVin nunc, Harpocrates, loqui
Tandem (si sapis) incipe:
Num mutum genetrix tua
Olim te peperit, miser?
Aut si non peperit, vide
Ne cum dissimules loqui,
Dignus tu meritò sies,
Qui mutus fieres citò.
Invenit pietas viam
Quâ Crœsi soboles, licet
A cunis puer impotens,
Et mutus simul editus,
Mox factus subitò loquens,
Vitam consuleret patri.
O si sic poteram loqui,
Quàm totus loquerer lubens!
Orarem precibus Deum
Vt vivas (Eques optime)
Vivas pacificè, diu,
Mille annos (licet hoc parum est.)
Ast ô me miserum nimis,
Te mors abripuit priùs,
Quàm fari licuit mihi,
Aut vitam petere à Deo,
(Quanquam atq; hanc petij tacens.)
Verum iam tibi mortuo
Hoc præstat dolor omnium,
Vt, quamvis stupet, & silet,
(Nam mutus dolor est) tamen
Laudes non sileat tuas.

ACcepit nuper legatum Gallia nostrum,
Dij faciant, nunquam sic iterum accipiat.

OMagnum patriæ decus, tuaq;
Gentis gloria, quàm omnibus relucet

Parumnè noſtri, bella dum gerimus tua,
Gallia, bibiſti ſanguinis?
Niſi morte pax incepta firmetur nova?
Sic noſtra te beant mala?
Patria terra tuum ſic (Heros inclyte) caſum
Senſit, vt interitum ſenſerit ipſa ſuum.
Nec mirum: cùm cuncta ſimul ruitura minantur
Te (niſi ſuſpiret mitior aura) ſequi.

Eſt aliquid, de tot Graiorum millibus vnum
A Diomede legi cædis furtiq; miniſtrum:
Quantum erit è multis Anglorum millibus vnum
Principis ore legi, procerumq; iubente ſenatu,
Ad regale opus, & diuini munus honoris?
Hac tua laus; ſed enim nimio laus empta dolore.

Cum venit externâ nobis legatus ab orâ,
Arma licet flammaſq; minetur:
Hoſpicio excipimus, gratoſq; paramus honores,
Incolumem diſcedere paſci.
Gallia redde vicem; noſtrumq; Heroa remitte
Dum ſalvum, vel honore carentem.
Gallia redde vicem meritis: ſervata per vnos
Quid perdis male-grata Britannos.

Quod modò legatum retineret Gallia noſtrum,
Dicitur hoc odij crimen, amoris erat:
Illa etenim primis notum dilexit ab annis,
Paſſa libens comitem principis eſſe ſui.
Iamq; recognoſcens, fruſtra tentaverat illum
Divitijſq; ſui, delicijſq; ſoli.
Non potuit vivum, voluit retinere peremptum,
Gallia ames hoſtem, ſic vbi lædis amans.

Olim ſi minimâ contentos nocte Britannos,
Vere priores dixerint.

Mors

D. Henrici Vntoni.

Mors gravis, immeritos cur longa nocte Britannos
Ium sorte mutata, premis?

Edmundus Coles. Nov.

INdoluêre tuam mœrentia flumina mortem,
Anxiaq; excidium metuit Natura perenne.
Ipse Pyrênæis oriens è montibus amnis
Non pluviâ crescens undâ, nivibúsve solutis,
Ter solito maior visus fuit ire Garumna.
Non iam Rhenus aquis terras intersecat æquis,
Arvaq; Germanis disiungit Gallica, nec iam
Lenè fluebat Arar, tumidis sed concitus undis
Influit in Rhodanum, Rhodano spumosior ipso.
Si tot fudêrunt lachrymas peregrina fluenta,
Quot fundes Tamisis tam tristi funere dignas?

Persarum solitus rex est potare Chõaspem:
Atq; alio renuit pellere more sitim.
Tunc quoq; cum regni diversas iret in oras,
Huius erat vino gratior haustus aquæ.
Virtutésq; tuas, vitæ dum dextra favêbat
Aura tuæ, sitiens terra Britanna bibit.
Nunc vbi Cœlicolûm sedem, soliumq; revisis,
Virtutes retinet, quà licet, vsq; tuas.
O te fœlicem, tam digna viatica nactum,
Quæ neq; te vivo, nec moriente cadunt.

Nostræ deliciæ, Britanniæq;
Virtus mascula, prosperûmq; fidus
De cœlo lachrymas tuæ tuêri
Dignêris patriæ, piósq; fletus.
Te ruptis croceis dolet capillis.
Te noctes repetens, diésq; totos
Seu mater tenerum, flet, orba partum.
Hoc vno recreat tamen dolorem,

Et laudes celebrem tuas tacendo?
Sic ô ſic faciam tuaſq; laudes
Vt nullus potuit ſequi loquendo,
Sic omnes poterint loqui putando.

Georgius Bate Soc: Colleg: Nov:

VIcta dedit flores, nunc aufert Gallia florem,
Et non quem dederat, ſed quibus illa dedit.
Et non quem dederat, ſed qui magè floruit illo,
Et qui multorum pondus & inſtar habet.
Gallia quos equitum vel quos habet Anglia florem
Scilicet Vntonum Gallica terra rapit.

PEllæus iuvenis cùm erat peremptus,
Regem regia luxerat niſi vna.
Vnton egregius diem (heu) obivit,
Regiæq; Equitem duæ celebrem
Lugebant, gemituq; perſonabant,
Hæc Britannica & illa Gallicana.
Hic namq; eſt honor ipſe mortuorum.
Ipſæ Pierides ſuäve plorant,
Sicut exequijs tuis, Achilles,
Sic in exequijs tuis Vntone.
Hic namq; eſt honor ipſe mortuorum.
Armis exequias tuas Achilles
Armis exequias tuas Vntone
Heröes decorant, eques pedeſq́.
Hic namq́ eſt honor ipſe mortuorum.
Noctes Græcia quindecim ſuperq́
Duas fletq́ pares dies Achillem;
Noctes Anglia quaſlibet ſuperq́
Et luget totidem dies Vntona,
Hic namq́ eſt honor ipſe mortuorum.

Edwardus Evans Colleg: Nov:

Quin

D. Henrici Vntoni.

QVin nunc, Harpocrates, loqui
Tandem (si sapis) incipe:
Num mutum genetrix tua
Olim te peperit, miser?
Aut si non peperit, vide
Ne cum dissimules loqui,
Dignus tu meritò sies,
Qui mutus fieres citò.
Invenit pietas viam
Quâ Crœsi soboles, licet
A cunis puer impotens,
Et mutus simul editus,
Mox factus subitò loquens,
Vitam consuleret patri.
O si sic poteram loqui,
Quàm totus loquerer lubens!
Orarem precibus Deum
Vt vivas (Eques optime)
Vivas pacificè, diu,
Mille annos (licet hoc parum est.)
Ast ô me miserum nimis,
Te mors abripuit priùs,
Quàm fari licuit mihi,
Aut vitam petere à Deo,
(Quanquam atq; hanc petij tacens.)
Verum iam tibi mortuo
Hoc præstat dolor omnium,
Vt, quamvis stupet, & silet,
(Nam mutus dolor est) tamen
Laudes non sileat tuas.

ACcepit nuper legatum Gallia nostrum,
Dij faciant, nunquam sic iterum accipiat.

OMagnum patriæ decus, tuaq;
Gentis gloria, quàm omnibus relucet

Virtus, religio, tuiq; mores?
Mores non sine castitate summa.
Est cur te celebrent senum Senatus,
Nam nota est gravitas tibi Catonis,
Quamvis quis gravior fuit Catone?
Te Princeps magis ipsa diligenda
(Das illi, vt decet, hunc lubens honorem)
Dilexit satis, (esse si satis quid
Possit) moxq; Equitem dedit vocari,
Nec res est sine laude transeunda,
Dignum pro meritis tuis putari,
Qui gentes adeas remotiores,
Vt possis patriam tuam beare.
Sed ne quid gravius loquar, putemvè,
Istud non temerè loquor, putovè.
Dignus cum fueras honore tanto,
Non te Gallia digna, cum perires.

Anglia alloquitur Galliam.

QVid tu, Gallia, tunè, me sororem,
(Quæ misi totiès tibi salutem)
Semper clade remuneras recente?
Isthuc pro meritis mihi rependis?
O veros nimium meos amores,
O fictos nimium tuos amores,
Te dixi temerè meam sororem.

AD te, Gallia si recuset Anglus
Legatus propius venire posthâc,
Nota est fabula vulpis ad leonem
Multi ad te veniunt, reditq; nullus.

Henricus Iordanus Soc:
Colleg: Nov:

Qui

D. Henrici Vntoni

QVi modò lætus abit, multoq; insignis honore,
Flebilis in patriam, si redit, vmbra redit.
Quid fuit? an nostris gaudet quoq; Gallia damnis?
Nec satis ad luctus hostis Iberus erit?

Verum est? an timidos fama fefellerat,
Elatum (scelus heu) funere Gallico
Vntonum Procerem? tam gravis Angliæ
Clades acciderit? cum neq; lugeat
Atratus populus; nec resonabiles
Mœstorum gemitus omne refert solum?
Ah verum nimis est; occidit, occidit
Princeps ille Equitum: Gallia sustulit
Nostræ spem patriæ. quin simul omnia
Nobis signa suæ tristitiæ dabunt?

Ite ad planctus, lacrymasq; date
Summus & imus: nova dum fletus
Causa ministrat, ite ad planctus.
Docet exemplo Regina suo
(Sic fama refert) obitum tanti
Lugere viri. Nunc nunc vires
Exprome dolor: Regina iubet.
Oppida planctu, sylvæq; sonent:
Habitansq; cavis montibus Ecchо
Reddat gemitus; solitum flendi
Vincite morem; columen patriæ
Fletis ademptum.

Te charum patriæ fuisse scimus,
(Eques magne tua patrisq; laude)
Cum flendum patriæ perisse scimus.
Sic te vel precibus suis redemptum,
Vel optat lachrymis suosq; alumnos
Sic optat similes tui videre.

Parumnè noſtri, belladum gerimus tua,
Gallia, bibiſti ſanguinis?
Niſi morte pax incepta firmetur nova?
Sic noſtra te beant mala?
Patria terra tuum ſic (Heros inclyte) caſum
Senſit, vt interitum ſenſerit ipſa ſuum.
Nec mirum: cùm cuncta ſimul ruitura minantur
Te (niſi ſuſpiret mitior aura) ſequi.

Eſt aliquid, de tot Graiorum millibus vnum
A Diomede legi *cædis furtiq; miniſtrum:*
Quantum erit è multis Anglorum millibus vnum
Principis ore legi, procerumq; iubente ſenatu,
Ad regale opus, & divini munus honoris?
Hac tua laus; ſed enim nimio laus empta dolore.

Cum venit externâ nobis legatus ab orâ,
Arma licet flammaſq; minetur:
Hoſpicio excipimus, gratoſq; paramus honores,
Incolumem diſcedere paſci.
Gallia redde vicem; noſtrumq; Heròa remitte
Dum ſalvum, vel honore carentem.
Gallia redde vicem meritis: ſervata per vnos
Quid perdis male-grata Britannos.

Quod modò legatum retineret Gallia noſtrum,
Dicitur hoc odij crimen, amoris erat:
Illa etenim primis notum dilexit ab annis,
Paſſa libens comitem principis eſſe ſui.
Iamq; recognoſcens, fruſtra tentaverat illum
Divitijſq; ſui, deliciiſq; ſoli.
Non potuit vivum, voluit retinere peremptum,
Gallia ames hoſtem, ſic vbi ledis amans.

Olim ſi minimâ contentos nocte Britannos,
Vere priores dixerint.

Mors

D. Henrici Vntoni.

Mors gravis, immeritos cur longa nocte Britannos
Ium sorte mutata, premis?

Edmundus Coles. Nov.

INdoluêre tuam mœrentia flumina mortem,
Anxiaq; excidium metuit Natura perenne.
Ipse Pyrênæis oriens è montibus amnis
Non pluviâ crescens undâ, nivibúsve solutis,
Ter solito maior visus fuit ire Garumna.
Non iam Rhenus aquis terras intersecat aquis,
Arvaq; Germanis disiungit Gallica, nec iam
Lenè fluebat Arar, tumidis sed concitus undis
Influit in Rhodanum, Rhodano spumosior ipso.
Si tot fudêrunt lachrymas peregrina fluenta,
Quot fundes Tamisis tam tristi funere dignas?

Persarum solitus rex est potare Chōaspem:
Atq; alio renuit pellere more sitim.
Tunc quoq; cum regni diversas iret in oras,
Huius erat vino gratior haustus aquæ.
Virtutésq; tuas, vitæ dum dextra favêbat
Aura tuæ, sitiens terra Britanna bibit.
Nunc vbi Cœlicolûm sedem, soliumq; revisis,
Virtutes retinet, quà licet, vsq; tuas.
O te fœlicem, tam digna viatica nactum,
Quæ neq; te vivo, nec moriente cadunt.

Nostræ deliciæ, Britanniæq;
Virtus masculà, prosperûmq; fidus
De cœlo lachrymas tuæ tuêri
Dignêris patriæ, piósq; fletus.
Te ruptis croceis dolet capillis.
Te noctes repetens, diésq; totos
Seu mater tenerum, flet, orbæ partum.
Hoc vno recreat tamen dolorem,

Toto quòd celebris feretur orbe,
Tam charum genitrix tulisse natum,
Quem non sustinuit mori videre.

Stu. Blickerd. Coll.
S. Trinit.

NOn sic Threïcius, sua
Dum flevit tenera coniugis exitum,
Inferni valuit loca
Cantando penetrare, atq; deos ibi
Sævos, quò placuit, modis
Lentis, & fidibus ducere mollibus:
Ac tu, qui varijs liber
Incedis decoratus genijs virûm.
Qui, si quid referas boni
Vntoni meritis, bis meruit. cave
Sis liber maculis: vt is
Omni labe caret. Desine nenias
Vltra prodere: nam choros
Campis Elysiis cum superis agit
Æternos celebris: manent,
Defuncti soboles, fama, fides, honor,
Illud sed reor optimum,
Legatus moritur. natus & omine
Vt lætus referat Iovi
Quæ, missus superis, viderit omnia,
O nos ter miseri: quibus
Non fas est reducem cernere patriæ.
Sed fallor. patriam redux
Cœlestem repetit; deserit Angliam,
Terras & sobolem. Priùs
Quos divos coluit, nunc comites habet.

Ed. Tratman è Collegio Magd.

D. Henrici Vntoni.

I Decor auratis cœlum diffundere pennis,
Dura noverca nimis fuit hospes inhospita tellus,
I Diomedæâ nubes transcende bipenni,
Te lituus, te concha vocat Mavortis in aulam,
Quæ tua lethæis miracula vindicat vndis.
Excipit in niveis te heroum turba quadrigis,
In quibus Arcadici recinunt modulamina cygni.
Classica Sidnæus tonat arma enseſq; Philippus,
Enthea cui Clarium ſpirant præcordia Phœbum.
Et mox purpureo veſtitus ſyrmate, pacem
Nuntiat albenti veniens Hattonus olivâ.
Te Dracus invictis amplectitur obvius vlnis,
Qui Tarteſſiacos oculis perluſtrat Iberos,
Vt vaga velivolis ſe exporrigit vnda carinis.
I Decor, & Superos (quanto fælicior iſtis
Concomitatus?) adi, quos noveris antè, reviſe,
In patrium redienſq; ſolum (Legate) ſaluta.

Guil. Tailor. Magd.

PRiſtina dum fuerat, monſtriſq; notabilis ætas,
Hæc olim cecinêre poetæ:
Corpora præ lachrymis, varias induta figuras,
Antiquam deperdere formam:
Sic Phaëtontiades, germani funera flentes,
Sic Niobe, & iàm mœſta Cupreſſus.
Quod ſi vera canant, & priſtina ſæcla redirent,
Perpetuò memoraberis Vnton;
Namq; tuos cineres dum quis gemibundus in vrna
Imponet, condetq; ſepulchro;
In ſilicem, aut marmor cedet, nec concidet vnquam
Perpetuum Vntoni monumentum.

Georgius Calvert. Coll.
S. Trinit.

SI fas æternas lugendo ſoluere leges,
Quas duraturo ſcripſere adamante Sorores,
Audirent ſeræ noctes tua fata gementem
Audirentq; dies: noctem ſentire diurnas,
Nocturnásq; diem facerem exaudire querêlas.
Nec te Lethæas Vntone habitare tenêbras
Nec ſinerem exiguo clauſum dormire ſepulchro.
Sed Parcæ renuunt, & inexorabile fatum,
Nec fas æternas lugendo ſoluere leges.
Fas lugêre tamen, lachrymáſq; effundere, nec me
Hoc facere aut fati leges, aut Parca vetabit.

Invitæ abſciderant Vntoni fila Sorores,
Traxerunt celeri dum ſua penſa manu.
Quæ cùm iterum vellent ſubito connectere nodo,
Mors negat, & iuris nunc aït eſſe ſui.

Guilielmus Ione ſ è Coll. Trin.

EN vitæ exemplum fragilis: non vlla moratur
Lethi ictus pietas; non honor vllus habet,
Quo queat indomitæ crudelia pellere mortis
Tela; deæ triplices ſic ſua fila tenent.
Heu tacet Vntonus, nulli pietate ſecundus,
Quiq; videbatur fauſtus honore novo.
Cur queror illius caſum? pars parva ſubibit
Excultum tumulum; ſydera ſumma prior
Pars dudum petiit: Sic cælo eſt additus hæret,
Vt rurſus vivat lætus amore ſuo.

T. C.

ISis flumineos ſuos olores
Vocales animas, aves canoras,
VNTONVM tenues euntem in auras,
Cycnæis voluit ſequi querelis.

Cycnæis

D. Henrici Vntoni.

Cycnæis nequeo ſequi querelis
VNTONVM tenues euntem in auras,
Cantu ſubſequar vnus anſerino,
Inter flumineos tuos olores
Vocales animas aves canoras,

Edmundus Scorie è Collegio Balliol.

ANglia feſtivum tandem contemne theatrum,
Et ſileant, (placidam quondam clamantia pacem)
Orgia pampinei digniſſima numine Bacchi.
Non iam tempus adeſt, quo ſummi rector Olympi,
Phœbæâ noſtras aſpergit lampade terras:
Non iam tempus adeſt, quo pompas fiſtula ſylvis,
Aut tuba ſolennes caneret per littora ludos.
Quid? quòd præbentem curis ſolatia noſtris
Non tumidi vaſto lacerarunt æquore fluctus,
Sed fera barbarico rapuerunt fata furore.
Quid? quòd in externis ſummâ pietate morantem
Sedibus, & placidæ quærentem pacis olivam,
Tetra venenatæ violarunt ſpicula mortis.
O miſeranda dies, qua primùm nuncius, orbis
Interiiſſe decus, dixit; qua vênit ad Anglos
Fama, viri talis crudelia funera clamans.
Cùm caderet primus Romani nominis author,
Omnes ſollicito ruperunt pectore queſtus.
Cùmq; reliquiſſet ſplendentis lumina cœli,
Et dulces ſocios, charus Chironis alumnus;
Tum ducis exanimes flentes fera fata Pelaſgi,
Lugubri mœſtas fuderunt voce querelas.
Cur non Angligenæ noua texunt funera ſacris?
Vel potiùs gemitu reſonantia ſydera pulſant?
Quòd iacet extinctus, nullum rediturus in ævum,
Pectore qui primo ſimilis, pietate ſecundo
Par fuit, ac noſtræ quondam ſpes ſumma ſalutis.

At licèt in tumulo placidissima membra quiescunt;
Non tamen extincto morietur corpore virtus,
Sed laus multorum volitabit in ore virorum.

ET meritò, Quis enim legati in funere, mœrens
Immenso madidas non rigat imbre genas?
Sed tamen heu fruſtrâ, fruſtrâ pro coniuge rapto
Ingeminas fletus orba relicta viro:
Et ſocij fruſtrâ flent, fruſtrâ in limine ſerui,
Quaq; tuo tota eſt vulnere, mœſta domus.
Quippe illum ad patrium ſublatum nuper Olympum,
Permiſtumq; atavis, Cœlicoliſq; Deis,
Non patria, aut ſocij poſſunt, ſed nec domus illinc,
Vxorvè, in patrium reſtituiſſe ſolum.
Ergo age, & Angligenûm cauſas orare diſertus
Interpres, celſo tu memor eſto polo.

ROBERTVS BARNES è
Collegio Magd.

PArva dabit nubes pluvias: capit vngula nomen
Iſidis: Iliaden parvula teſta nucis:
Exiguâ chartâ totus depingitur orbis:
Cæſaris effigiem quilibet aſſis habet:
Cùm nequeam Vntoni defuncti dicere laudes,
Digno pro meritis carmine, flebo tamen.

Iohannes Digby Colleg: Magd:

EXequias deflere tuas Vntone volenti,
Accipe cur ſolitam Muſa negabat opem:
Cauſa tua eſt pietas in patriam, & inclita Chriſti
Relligio, vtramvis noſtra Camœna ſtupet.
Hæc te Cœlitibus charum dedit, illa Britannis,
Indignum terris vtra q3 ad aſtra ferunt.

Gualt: Moore è Coll: Trin:

D. Henrici Vntoni.

Accipe & hæc Henrice tuæ ſolatia mortis,
Vel vmbra planctus audiens,
Planctus ab omni parte natalis ſoli
Tuæ execrantes mortis infauſtum diem,
Mortis funeſtum locum,
Et tibi teſtantes vivum poſt funus amorem.

Cuncta dolent: ſocium Proceres periſſe laborum,
Patronum populus ſuum, queruntur.
Et cœlum tetigit dolor:
Artes ne pereant ſuæ,
Mavors extimuit, ſuæq; Pallas:
Scilicet hæ tecum ſtantes ſenſere cadentem.

Certe periſſes flebilis omnibus,
Ni ſic fuiſſes fletus ab omnibus.
Mors illa triſtis non videtur
Quam decorant homines Deiq;.

E. Sc. Balioll:

Dum tibi luſta parant, quorum eſt ea cura, tuiſq;
Concinnant ſacris manibus inferias;
Dumq; ſocer natæ ſortem miſeratus acerbam,
Solari miſeram, flens ſimul ipſe, cupit;
Hæc Henrice tibi promunt Funebria Muſa,
Quoq; valent, decorant funus honore tuum.
Grandævi te flent Patres, te firmior ætas,
Quiq; poteſt aliquid carmine, quiq; parum.
Quos inter, gelidâ torpeſcens pectora curâ,
Vlumus ipſe loco, vix etiam ecce loquor.
Namque meos fando ſi poſſem exprimere luctus,
Forſitan & moderari, & bene ferre queam:
At noſtrum tangi negat inſolabile vulnus,
Indulgenſq; ſibi teſte carere cupit.
Quanta mihi, norunt alij, ſit cauſa dolendi;

Funebria

Quàm doleam, ſolus conſcius ipſe mihi.
Ex quo te patriæ primum mandata ferentem,
Per freta Gallorum ad caſtra ſequutus eram,
Quam te munificum dominum, & ſum nactus amicum,
Quale decus fueris, præſidiumq; mihi,
Id norunt alij: quali ſenſu ipſe viciſſem
Te colerem, ſolus conſcius ipſe mihi.
Tecum fortunæ, & perierunt gaudia noſtra,
Sed fortunarum damna minora puto.
Vntoni, Vntoni gravis eſt iactura, paciſci
Pro quo, vel proprio non dubitem interitu:
Nam meliùs quando hæc anima impendatur? & hæc, cur
In luctum vlteriùs vita trahenda mihi?

HÆc Vntone tuo cecinere in funere Muſæ
Oxonides, triſtes munera ad inferias.
Oxonides Muſæ, quarum es nutritus in vlnis,
Heu teneras lachrymarum imbre rigante genas:
Quæ tibi poſtremus noſtri pro munere amoris,
Curavi in memores iam referenda typos:
Accipiant læti manes ſtudia iſta tuorum,
At tu patrone o dulcis, ave, atq; vale.

Robertus Wright ſacræ Theolo: Bacchalaurius è Colleg: Sanct: Trin:

FINIS.

6204

STC
24520

Perfect
pro P. Quaritch Ltd
Talbot

THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY

8950